ALEXANDRI CUNINGAMII ANIMADVERSIONES, IN RICHARDI BENTLEII…

Alexander Cunningham

Digitized by Google

4. 8. 266

4.I.8.

Digitized by Google

N.º 112

Digitized by Google

Digitized by Google



Detrahit & pellem nitidus quâ quisque per ora
Ambulat; introrsum turpis. HORAT.

Digitized by Google

Digitized by Google

ALEXANDRI CUNINGAMII

ANIMADVERSIONES,

IN

RICHARDI BENTLEII

NOTAS ET EMENDATIONES

AD

Q. HORATIUM FLACCUM.

Laudis amore tumes, ſunt certa piacula, quae te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Horat. Epiſt.

HAGAE COMITUM,
Apud THOMAM JONSONIUM.
M. DCC. XXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

V I R O

LONGE ERUDITISSIMO

RICHARDO BENTLEIO,

S. THEOL. PROF.

Collegio S. Trinitatis apud Cantabrigienſes Praefecto, &c.

S. D.

ALEXAND. CUNINGAMIUS.

Librum hunc Animadverſionum, quem a te V. Cl. diligenter evolvi, accurateque perpendi velim, animo ab ira, odio, invidia & aemulatione vacuo conſcripſi: & ut ita facerem, & aequitatis ratio ſuadebat, & amor veritatis, qua ſapienti Scriptori nihil carius eſſe poteſt, imperabat. Non enim ignorabam iſtas perturbationes tam denſam menti caliginem objicere, ut Viri doctiſſimi eis affecti ſaepe verum a falſo, ſaepe verum a veriſimili ſecernere non potuerint. Quinimo, ne laudes, quas errorum a Viris ingenio doctrinaque praeſtantibus admiſſorum animadverſio & confutatio parit, tuas in Horatium Notas & Emendationes corrigendi cupiditate me inflammarent, tutiſſimum eſſe exiſtimavi, ut eis dijudicandis adferrem

a:A

ferrem animum ad eas propugnandas, quam impugnandas propenſiorem. Et cum humanum ſit errare, cumque erroris caſtigatio per ſe ipſa ſit acerba, humanitas omnino poſtulat, ut acerbitas reprehenſionis lenitate orationis mitigetur. Sed quia non niſi modeſtis ac verecundis Auctoribus hoc officium deberi ſciebam, ne eo erga te fungerer, tua, (quod valde doleo) prohibuit ingenii & eruditionis jactantia intolerabilis. Quare, cum in hoc Libro mitiore ſtilo uti, id eſt, errores tuos verbis extenuare & excuſare per tuam arrogantiam mihi non liceret, cogitabam majus ac praeſtantius munus futurum, ſi contrariam ſcribendi rationem eligerem, id eſt, ſi peccata tua ſuis depicta coloribus tibi ob oculos ponerem; ſic tamen, ut oratio noſtra a contumeliis abeſſet, intraque juſtae reprehenſionis fines conſiſteret, neque quidquam aſperitatis admiſceret, quod errorum pravitas, ac vaniſſima gloriatio non extorſerint. Quam praeclarum autem, quamque fructuoſum ſit hoc munus, quo te ferire volui, ex eo facile cognoſces, quod ad morbum illum animi, quo vehementer aegrotas, depellendum efficacior medicina inveniri non poſſit, quam quae immoderatam tuam jactantiam cum inſcientia, neque ea mediocri, eſſe conjunctam tibi oſtendat. Noli vero putare V. Cl. me tuam in Arte Critica ſcientiam ex eis, quae incredibili temeritate multis in locis effudiſti, metiri; eas enim Notas confutandas ſelegi, quibus elaborandis ſummam attentionem, omneſque ingenii vires mihi videbaris admoviſſe.

Quam-

Digitized by Google

Quamquam autem errores tui, quos in hoc libello redargui, ſi cum eis, quos in Notis noſtris ad Horatium confixi, conferantur, pauci ſunt, ejuſmodi tamen, ni fallor, ſunt, ut immodicae jactantiae te cogant poenitere. Immo etſi ne vel unum e tuis erroribus hic attigiſſem, ſed duo ſola capita hujus Libri, tertium ſcilicet & quartum, in quibus plurimae proponuntur emendationes, quarum ne una quidem a te occupata eſt, evulgaſſem, eae tamen ipſae emendationes ad incutiendum tibi pudorem ſatis, ut opinor, valerent. Nam ſi fontes earum & origines cognoveris, ſi peccandi cauſas tenueris, & ut verbo dicam, ſi Horatii ingenium & doctrinam, & contra Interpolatorum & Librariorum inſcitiam perſpectam habueris, pleraſque veriſſimas eſſe parvo labore reperies, & quae veris adnumerandae non ſunt, eas ad veritatem proxime accedere facile judicabis.

Sed & alterum munus neque leve quidem in te conferunt noſtrae animadverſiones; etenim hae te docebunt emendandi regulis uti ſcientius; hae tibi monſtrabunt regulas quaſdam ad hanc artem cum laude exercendam utiliſſimas; hae te docebunt exempla ad tuas opiniones firmandas aptiſſima adferre; &, ut paucis praecidam, hae temeritatem tuam cohibebunt, te ad diligentiam incitabunt, ingenium exacuent, efficientque ut & pauciora peccata poſthac admittas, & multa acute & vere excogites. Neque vero laudibus, quas alia tui ingenii & eruditionis monumenta tibi pepererunt, his animadverſionibus quidquam de-

 tractum

tractum velim. Nam & omnia, quae in Notis tuis ad Horatium laudari digna eſſent, meis ad eundem Notis inſerui; quamquam hujus generis, ut verum fatear, non valde multa, quae ab aliis occupata non eſſent, in tuis invenerim.

Sed quia in Praefatione quae in promtu tibi erant opes diſſimulaſſe te ſcribis, ut ne ubique, *inquis*, judiciis hominum diffidere viderer, utque ſtolidi, & ad depugnandum parati ſe in laqueos induerent, riſum jocumque naſutioribus daturi, *juſtam tibi cauſam opes illas cum orbe literato communicandi noſtrae animadverſiones, ni fallor, praebent. Mihi ſane meliora a te doceri pergratum perque jucundum erit; reprehenſionem enim patienter ferre didici, verique cognitionem vel contumelioſiſſima lubens redemerim. Vale. Dabam Hagae-Comitis IV. Kal. Decemb. M. DCC. XXI.*

ANI-

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES IN HORAT. BENTL.

CAPUT I.

De Munere Critici.

ETſi motus animi celeres, divinandi ſagacitas, memoriae firmitas, ac doctrina multiplex ad antiquos Codices emaculandos plurimum adferant adjumenti, tamen, niſi iis donis, obſervationum, e quibus Ars emendandi conficitur, accedit cognitio, iiſdemque in loco utendi ſcientia, qui curam ad hanc rem conferet, is & multa menda relinquet intacta, & multa, quod deterius eſt, imperite corriget. Atque hoc quidem Bentleius, Vir magni nominis, in Notis quas in Horatium conſcripſit, veriſſimum eſſe demonſtravit.

Is enim, quamvis hiſce a pueritia ſtudiis deditus, quamvis eruditione plurima tum Graeca tum Latina inſtructus, quamvis magno veterum quoque exemplarium numero adjutus,

Digitized by Google

Notas illas ſuas infinitis referſit erroribus: Idemque praeterea Poëtae contextum tam mendoſe evulgavit, ut editionem quadringentis plus locis Bentleiana emendatiorem polliceri non verear.

Jam ſi tam multorum errorum cauſas quaerimus, reperiemus fere quinque; unam, quod falſas quaſdam corrigendi regulas ſecutus eſt; alteram quod nonnullas ignoravit veras; deinde quod veras locis quaſque ſuis adcommodare neſcivit; tum quod ad peccandi cauſas eruendas ſagacitate parum valuit; ad extremum, quod immoderata gloriae cupiditate incenſus, & ingenii & eruditionis opinione exultans, conjecturas ſuas, quas graviſſime expendi oportuerat, leviſſime perpendit.

Quae omnia in cauſa fuere, ut V. C. multis locis male adfectis medicinam adhibuerit nullam, ut multis adhibuerit non ſalutarem, & ut multis quoque ſanis admoverit mortiferam.

Et quoniam Artis emendandi virtutes fere ſunt hae; ut fallens Regula ponatur nulla; nulla vera non ponatur; deinceps ut unaquaeque vera loco admoveatur ſuo; qui hanc artem cum laude exercere volet, is non ſolum, ut omnibus illis virtutibus exornetur, elaborabit, verum etiam ut omnes omnino Regulae ita firmiter animo infigantur, ut, ubicunque ab iis petendum erit auxilium, ipſa, quae loco laboranti ſanitatem adferat, ſibi ſit in promptu.

Illud quoque prudens emendator ad curam ſuam pertinere judicabit, ut veriſimilem quamcumque correctionem occupet, atque convel-

lat;

Digitized by Google

lat; hoc enim omiſſo, fieri poſſe, ut talis emendatio poſtea ab aliquo reperta, doctos etiam homines (cum veri ſpecie ſaepe decipiamur) a vera lectione abducat, quod futurum eſſe verendum non erit, eâ propriis rationibus jam labefactatâ. Huc accedit, quod haec meditandi ratio Criticum ad acrem veriſimilis & verae lectionis contentionem inter ſe ineundam excitet; quae res & ad veram ſtabiliendam, & ad ingenium exacuendum valet vel maxime.

Ac ſimiliter lectiones librorum, & ſcriptorum & impreſſorum, emendationes quoque cum alienas tum ſuas, quas in contextum recipiendas eſſe cenſebit, non ſolum validis argumentis atque teſtimoniis Auctorum aptiſſimis communiet, verum etiam omnia quaecumque ſuam videantur impugnare ſententiam, expromet, anticipabit, infirmabit.

Illud ſane ſui eſſe officii exiſtimabit, ut ſua cuique inventa tribuat neque alienis laudibus adaugere velit ſuas; ac, ne in ullam furti ſuſpicionem, incurrat, Auctores, in quorum ſcriptis ſuſpicari poterit eadem, quae ſibi in mentem venerint, reperiri poſſe, percurret; denique omnia quaecumque a viris doctis ſcripta ſunt, quae quidem ad inſtituti operis abſolutionem atque perfectionem proficiant, diligenter adnotabit.

Quibus praeceptis, quamquam ſaluberrimis, nemo, quod ſciam, parere vel conatus eſt. Ego ſane iis omnibus ut obtemperarem, omnes ingenii nervos contendi, &, ut nihil eorum,

Digitized by Google

quae ab aliis dicta eſſent, & ad Horatii recenſionem pertinerent, praetermitterem, curam ac diligentiam ſummam adhibui: neque dubitaverim, quin ipſe Bentleius, ſi res eſſet integra, id eſt, ſi is Horatium non recenſuiſſet, iis omnibus a me fere ſemper obtemperatum eſſe pronuntiaturus eſſet: immo etſi res jam integra non eſt, ipſum tamen vel invitum (magna enim eſt vis veritatis) id a me in pleriſque factum ſaepe ſecreto ſibi dicturum arbitror.

CAPUT II.

Multa in R. B. Praefatione ad Lectorem reprehenduntur.

R. B. Haud longe a principio. *Ante alios autem placuit HORATIUS;* NON QUOD IN EO PLURA, QUAM IN ALIO FERE QUOVIS LATINO SIVE GRAECO, RESTITUERE ME ET EMENDARE POSSE CONFIDEREM, *ſed quod is omnium Veterum maxime vel merito ſuo vel genio quodam & placendi ſorte in manibus hominum pectoribuſque haereret.*

A. C. Ego ſane plura in Plauto, Terentio, Manilio, & in aliis quibuſdam Latinis & Graecis Auctoribus quam in Horatio emendare te potuiſſe exiſtimo; nam ſi ex Notis in Flaccum de tua hac in re peritia conjectura capienda foret, ad paucos potius quam ad OMNES FERE GRAECOS ET LATINOS AUCTORES recenſendos

Digitized by Google

dos te idoneum eſſe ſine ulla dubitatione pronuntiarem.

R. B. Eſt & peracri inſuper judicio opus; eſt ſagacitate & ἀγχινοίᾳ; eſt ut de Ariſtarcho olim praedicabant, divinandi quadam peritia & μαντικῇ, quae nulla laborandi pertinacia vitaeve longinquitate acquiri poſſunt, ſed naturae ſolius munere naſcendique felicitate contingunt.

A. C. Quod de Naturae donis ſcribis, veriſſimum eſſe nemo eſt qui neſciat. Sed & illud, quod omnino addi oportuerat, verum eſt, illa naturae munera Artis Criticae ſcientiâ ali, promoveri, augeri, & quod caput eſt, mirum in modum dirigi. Quam liberaliter autem ac benigne Natura haec ſua in te contulerit munera definire non eſt meum: illud cum bona tua venia confirmare non verear, peracris judicii ac ſagacis ingenii indicia & argumenta non valde crebra in tuis emendationibus comparere.

R. B. Longe longeque difficilius eſt hodie, quam ſuperioribus erat annis, emendationes conſcribere. Ita omnia illa, quae ex ſcriptorum Codicum collatione clare & ultro ſe ingerebant, praerepta jam ſunt & anticipata: neque quidquam fere reſiduum eſt, niſi quod ex intima ſententiae vi & orationis indole ſolius ingenii ope ſit eruendum.

A. C. Illo etiam, quamquam a te omiſſum eſt, totum hoc negotium difficilius efficitur, quod a viris eruditis multa ſunt occupata. Quo nihil verius eſſe tute ipſe fateberis; emendationes enim tuas fere omnes, quae quidem in ali-

Digitized by Google

quo loco laudis poni debent, ab iis tibi praereptas eſſe, aut quod forte verius eſt, iis a te ſurreptas eſſe ANIMADVERSORUM CAPUT QUINTUM tibi oſtendet.

Quod ſi poſt tot doctorum hominum labores tibi difficile fuit emendationes conſcribere, mihi certe poſt TUOS hoc facere non potuit non eſſe difficillimum. Cum vix una & altera acumen, ſagacitatem, & perſpicaciam tuam effugere potuerint. Verumtamen non omnes omnino a te eſſe praereptas, tercentum & quinquaginta emendationes, quas fideliſſimae obſervationes mihi ſuggeſſerunt, perſpicue tibi demonſtrabunt.

Illud quoque adfirmare non dubitem, omnes tuorum Codicum lectiones probas, omnes tuas etiam emendationes, cum veras, tum veriſimiles, me ſemoto omni librorum auxilio fuiſſe inventurum. Quod a me ſine jactatione dictum eſſe duae res comprobabunt, una, quod ad omnes illas obſervationes aciem animi nuſquam non acriter intenderim, altera, quod multos locos earumdem obſervationum ope ſimiliter ſanarim.

R. B. Plura igitur in Horatianis his curis ex conjectura exhibemus, quam ex Codicum ſubſidio; &, niſi me omnia fallunt, plerumque certiora. Et deinde paucis interpoſitis. *Enimvero haud animi me fallit, tot in Flacco emendationes iniquis oculis pleroſque aſpecturos, nec niſi vi & ingratiis receptas tam diu lectiones vetereſque avias ſibi revelli paſſuros. Quippe in aliis auctoribus minus ſibi tritis pro lubitu id fieri non aegre tulerint; in hoc*

Digitized by Google

hoc quem jam inde a pueritia dies noctesque verſarunt, quemque intus & in cute ſe noviſſe opinati ſunt, tot jam menda detegi, tot abſurda ſenſuque caſſa redargui, quaſi convicium ſibi factum interpretabuntur. Horum ego ut praejudicio & ἀνθολκῇ *occurrerem; fuſe pleraque & prolixe praeter morem meum in adnotationibus deduxi: ut vel indignantes ac reluctantes cum rationum pondere tum exemplorum numero obruerem, inque meam tandem ſententiam vel obtorto eos collo traherem.*

A. C. Ne veras laudes tibi detrahere velle exiſtimer, nam falſas tibi affingi neque ipſe velis, ea propter quae laudandus ſis, ſimulque ea in quibus reprehendendus ſis aut profecto non laudandus, ſub uno conſpectu ſubjiciam.

I. Laudandus, quod novas lectiones & eas quidem plurimas feliciter excogitaſti. At ſi eae fere omnes aut ab aliis praereptae ſunt aut omnino ſunt improbandae, quod utrumque, partim hic, partim in notis ad Horatium me oſtendiſſe confido, quivis te in hac parte vituperandum potius quam laudandum eſſe judicabit.

II. Quod e vetuſtis codicibus multas & quidem optimas lectiones in Horatii contextum primus intuliſti eaſque rationum pondere & magno exemplorum numero egregie confirmaſti. At ſi eae veterum codicum lectiones, quas in contextum recte recepiſti, ſine vituperatione non recipi non potuerunt, eas in contextu poſuiſſe aliud laudis quam tranſcriptionis, ſi tamen illa laus eſt, habere non poteſt; & in his omnibus illud ad te pertinere exiſti-

mabis, --- *Vitavi denique culpam, Non laudem merui.* In eo autem graviter mihi reprehendendus videris quod in varia Manuſcriptorum lectione non raro depravatam ſincerae praetuliſti. Deinde in eo reprehendendus es, quod interdum leviſſimas rationes ad lectiones, quae merito tibi placuerunt, ſuſtentandas, inſcite adhibuiſti. In eo quoque non leviter peccaſti, quod exempla nihil ad ſententiam tuam roborandam valentia ſaepe congeſſiſti. Illud denique reprehenſione non caret, quod exemplorum vim & uſum non habuiſti percognitum. Cujus quidem rei ignoratione nonnullos Horatii locos a te male emendatos eſſe animadverti.

R. B. Non raro tamen etiam data opera brevior contractiorque fui, partim taedio ut fieri ſolet furtim obrepente, partim conſulto viribus parcens & quae in promptu mihi erant opes diſſimulans: ut ne ubique judiciis hominum diffidere viderer, utque ſtolidi & ad depugnandum parati ſe in laqueos inopinantes induerent, riſum jocumque naſutioribus daturi.

A. C. Si tuas V. C. conjecturas impugnare velle ſtoliditatem arguit, eas expugnare ſtoliditatem certe non arguit. Et quoniam circumſpecti ſcriptoris eſt nihil impugnare quod ſeſe expugnare poſſe non confidat; non prius has animadverſiones divulgandas eſſe exiſtimavi, quam, non ſolum nullam defenſionem, qua earum vis depelli poſſet, tibi jam tunc cum Horatium ederes in promptu fuiſſe, verum etiam non futurum eſſe ut olim ulla tibi in mentem veniat, mi-

Digitized by Google

mihi eſſet perſpectum. Quod non jactanter ſed vere a me dictum eſſe ex eo apparebit, quod, cum ne ulla mearum quidem emendationum, quamquam earum non exiguus eſt numerus, tibi tunc temporis in mentem venerit, cur argumenta, quibus tuas opiniones rejeci, tunc tibi in promptu fuiſſe ſuſpicarer, cauſa fuit nulla, ex iiſdem enim obſervationum fontibus haec & illae defluxerunt.

R. B. Neque enim aut animus aut otium erat calamiſtris illa inurere; nec tanti emerim jejunam illam obſcurae diligentiae laudem; ac pudebat praeterea nugis calamique luſibus pondus velle addere; & ἐπὶ φακῇ quod ajunt μύρον: ſic tamen, uti ſpero, ut nec ſermonis puritatem, nec ordinis lumen, neque rationum vim & perſpicuitatem vel in his αὐτοσχεδίοις deſideres.

A. C. Cum materia notarum ſit humilis & abjecta, iis omnino convenit humile & ſummiſſum orationis genus. Debent itaque eſſe Latinae, dilucidae, conciſae, nudae, id eſt, omni ornamentorum veſte denudatae: atque in hoc dicendi genere Auctores, quos ad imitationem nobis proponamus, ſplendidiſſimos habemus, veteres Jurisconsultos. Horum enim Notae ad Leges, ad edicta, ad Senatusconsulta, & alia his ſimilia, quatuor illis virtutibus in primis commendantur. Atque has ipſas fere laudes habent Notae Joſ. Scaligeri & Mureti in Catullum, Tibullum & Propertium, & aliorum complurium in alios Auctores, quos nominare ſuperſedeo. Illud unum

num hic contra tuum ſcribendi morem adnotare, quamquam plura poſſum, placet, in notis nihil odioſius eſſe verboſa longitudine.

R. B. Cum autem prius ex his duobus volumen, quo Poëtae verba ſine commentario exhibentur, diu ante typis excuſum eſſet, quam Adnotationibus manum admoverem; vix aliter in tam ancipiti judicii alea, cum nondum mihi omnes Codicum copiae praeſto eſſent, evenire potuit, quam ut quaſdam lectiones prioribus omnibus probatas in Contextu ferri ſinerem, quas poſtea re accuratius perpenſa ejectas eſſe cuperem; contraque novas aliquot introducerem, quarum poſtea poeniteret. Ita Carmine III. Libri primi v. 18. Siccis oculis *nimium patienter tuli; cujus loco, ſi res nunc integra eſſet*, Rectis oculis *ſine dubitatione ſubſtituere velim, rurſus pag.* 41. Aget, 118. Ilios, 119. Vultu & per, 136. Porrecta, 149. Secrevit, Aere dehinc quorum, 160. Quiddam, 170. Vellunt, 172. Sermo merus, 180. Cenſorque, 187. Utraſque confuſus, 201. Anni & occupat, 217. Poſt vinum, 223. Romae, 224. Non mentiar, 244. Tendere, 258. Res, 264. Perdidit, 272. Sed rebus, *quae nunc imum folium occupant ad ſedes ſuas revocari cupiam. Tantum autem abeſt, ut occultandum mihi hoc aut erubeſcendum eſſe credam, ut ultro etiam Lectori imputem, meque vineta mea caedendo ingenui candidique hominis nomen apud aequos judices habiturum eſſe confidam.*

A. C. Haec omnia putavi deſcribenda, tum quod in editione Wetſteniana ea non compareant,

Digitized by Google

reant, tum quod certis verborum involucris admirabilem tuam inſcientiam tegere te potuiſſe confiſus es: ſed fruſtra.

Quae res ut evidentius tibi ante oculos ponatur, duas & viginti quae in editione Cantabrigienſi conſpiciuntur lectiones in tres claſſes diſtribuam.

Prima eſt earum, quae ut molliſſime loquar, dicendae ſunt ineptiſſimae: atque hae quidem numero ſunt ſexdecim.

Secunda eſt earum quas in contextu retineri oportuerat, & hae numero ſunt tres.

Tertia denique claſſis eſt earum, quae quamquam ineptae dici non poſſunt, pro veris tamen habendae non ſunt, & hae numero ſunt tres. Ad primam claſſem redeo.

CARM. LIB. II.

C. II. v. 5. 6. 7. 8. Vivet extento Proculeius aevo,
Notus in fratres animi paterni:
Illum *agit* penna metuente ſolvi
Fama ſuperſtes.

Agit quidem habent plurimi codices; verum etiamſi omnes omnino id haberent, tamen *vivet* & *Fama ſuperſtes*, *aget* legi debere demonſtrant: praeterea Interpolatoribus, ex ignorata Poëtae ſententia, verborum tempora mutare, quod te non neſcire puto, ſollemne & uſitatum eſt. Ceterum *aget* habent Pulmanni Berſmannique Codices, & vetus Commentator & omnes fere editiones.

LIB. IV.

IX. v. 18. Direxit arcu: non ſemel, *Ilion*.

In

Digitized by Google

In libris ſcriptis & impreſſis legitur *Ilios*, Tu, forte quod apud Ovidium ac Tibullum *Ilion* in recto caſu inveniſti, etiam hic ita legendum eſſe cenſuiſti; verum quam ineptum eſt repudiata certiſſima lectione vitioſam ex conjectura in contextum intrudere. Atque hic error eo gravior eſt, quod *Ilios* & *Ilium* in recto caſu Latina ſunt; *Ilion* in recto non item. Et omnino apud Poëtas, quos modo laudavi, pro *Ilion*, quod eſt inepti Correctoris, reponendum eſt *Ilios*, uti in notis ad Horatium oſtendi.

EPOD. LIB.

V. v. 80. Tellure *projecta* ſuper.

Porrecta habent MSS. & edd. *projecta* quae eſt tua correctio, conſuetudo Latini ſermonis omnino reſpuit.

XVI. v. 63. Juppiter illa piae *ſecrerat* . . . .

Quidam libri habent *ſacravit*; quod eſt imperiti Correctoris vim verbi *ſecrevit* ignorantis. Unus codex *ſecrerat*, quod & Interpolatoris eſt inſcitiſſimi pluſquam perfectum tempus Poëtae menti putantis magis convenire.

v. 65. Aere dehinc ferro duravit ſaecula: *quo nunc.*

Quo nunc, quae tua eſt emendatio ita abſurda eſt, ut & Poëtae ſententia & ars emendandi eam aſpernentur. Vide notas noſtras in Horatium.

SERM. LIB. I.

I. v. 105. Eſt inter Tanain *quidam* ſocerumque Viſelli.

Hoc *quidam* adeo ridiculum eſt, ut refelli non debeat.

III.

Digitized by Google

III. v. 133. Eſt opifex ſolus, ſic rex. *Vellent* tibi barbam.

Vellent legitur in aliquot codicibus; ſed in longe pluribus *vellunt*, quod idem habent omnes fere editiones. At pone in omnibus omnino libris extare *vellent*. Totus tamen contextus efflagitat *vellunt*. Haec enim ſubſequuntur, *coërces*, *urgueris*, *rumperis*, *latras*. Et ut verbo dicam; Poëta Stoico reſpondens, non quid pueri ei facturi ſint, ſed quid facere conſueverint, exponit. Atque hoc ipſum *vellunt* plane denotat. Illud autem Interpolatori praebuit cauſam mutandi praeſens tempus in futurum. Quod conſtabat, cum hoc Horatius reſponderet, a pueris Stoico barbam non velli.

IV. v. 48. Differt ſermoni, ſermo *eſt* merus. At pater ardens.

Illud *eſt* ineptiſſime additum eſſe ſermonis ſeries clamat.

VI. v. 20. Quam Decio mandare novo: *Cenſorne* moveret.

Hoc *Cenſorne* pro *Cenſorque*, quod MSS. & edd. habent, ipſa rerum ſeries convellit.

VIII. v. 25. 26. Cum Sagana majore ululantem. pallor *utramque*

Fecerat horrendas aſpectu.

Utramque horrendas. *Utramque* tuo debemus ingenio, & ſine ulla dubitatione ita ſcripſit Horatius!

v. 28. Coeperunt: cruor in foſſam *cum fuſus*, ut inde.

Cum fuſus Horatii ſententiam pervertit. *Confuſus* MSS. edd. Recte, ut ſubintelligatur *fuit*.

LIB.

Digitized by Google

LIB. II.

II. v. 94. 95. Das aliquid famae, quae carmine gratior aurem
Occupet humanam.

Occupet in plurimis quidem libris extat, idque Lambino, Torrentio, Cruquio & Berſmanno placuit, ſed immerito, haec enim lectio Poëtae verbis mirifice adverſatur; quod & tute ipſe in notis tandem animadvertiſti. Alii libri habent *occupat*, & omnino recte; *occupat* autem valet *occupare ſolet*.

VI. v. 23. Principium: *Romam* ſponſorem me rapis: Eia.

Romam, quae eſt emendatio Marcilii, inſcitiſſime adſciviſti. Nam primo Flaccus hic Urbis incommoda recenſet, ut bene obſervavit Turnebus, cujus verba adponam. *Etenim quibus Romae negotiis implicatus & impeditus ſoleat eſſe, ſcribit: quibus ruri quod careat, ſe foelicem & beatum putat.* ROMAE autem recte interpretatur Lambinus *cum Romae ſum*; atque hoc per Ellipſin participii verbi ſubſtantivi dixit Horatius. De qua Ellipſi vide *Sanctii Minerv.* p. 572. Edit. A. 1714.

V. 32. Hoc juvat & melli eſt; *ne* mentiar: at ſimul atras.

Quidam codd. legunt *non mentior*, quod tu exemplis ex Apuleio & Plauto petitis recte dici probas. Sed Codex Petrenſis paullo, inquis, melius *ne mentiar*, quod recte quoque dici exemplis ex Cicerone, Plauto & Terentio allatis probas. Deinde addis . . . . *placet tamen recepta lectio non mentiar*. PLAUTUS MENAECH. II. 1. *Major non dicam dolo.* Atqui hujus loci lec-

Digitized by Google

lectio non exemplis ſed artis praecepto dijudicatur. Neque enim ex eo quod Plautus dixerit *non dicam dolo*, legendum eſſe *non mentiar* concludi neceſſe eſt. Verum quoniam perſaepe te ſimiliter peccaſſe oſtendi in notis, inde ratio critica, qua ſuſſulcitur vulgata lectio *non mentiar*, petenda eſt.

EPIST. LIB. I.

V. v. 11. Aeſtivam ſermone benigno *extendere* noctem.

Quid? non primo aſpectu *extendere* ex interpretatione in contextum irrepſiſſe vidiſti?

XVI. v. 67. *Prodidit* arma, locum virtutis deſeruit, qui.

In contextum immiſiſti *prodidit*, quod, ut ſcribis, memineras *prodere* & *deſerere* paſſim apud veteres Scriptores jungi ſolere. Longe felicius res tibi ceſſiſſet, ſi non meminiſſes *prodere* & *deſerere* apud illos ſaepe jungi. Recte autem ad *perdidit arma*, quod omnes libri habent, adnotavit Jo: Bond, *quod militi eſt ignominioſum*.

Jam cum hae tuae correctiones, *Ilion*, *Projecta*, *Quo nunc*, *Quidam*, *Sermo eſt merus*, *Cenſorne*, *Utramque*, *Cum* fuſus, *Prodidit*, ſint infames ac ridiculae; cumque has lectiones, *Agit*, *Secrerat*, *Vellent*, *Occupet*, *Romam*, *Ne mentiar*, *Extendere*, inſcite probaveris; & cum lectiones, quas, ſi res integra eſſet, cuperes, uti ſcribis, in contextum recipere, non ſolum in omnibus fere editionibus compareant, verum etiam eae ipſae ſint veriſſimae & extra omnem controverſiae aleam poſitae; te rogem V. C. puteſne minas illas tuas ſupra commemoratas,

qua-

quarum verba iterum ponam: *Non raro datâ opera brevior fui; .... partim conſulto viribus parcens & quae in promptu mihi erant opes diſſimulans: .... utque ſtolidi & ad depugnandum parati ſe in laqueos induerent, riſum jocumque naſutioribus daturi.* Puteſne, inquam, minas illas imprudentiae & ſtoliditatis eſſe pleniſſimas? Et quemquamne putes aut tam deridenda jam contra te ſcripſiſſe, aut olim ſcripturum eſſe, quam ſexdecim illae Correctiones ac Lectiones deridendae ſunt?

Nunc ad illa verborum involucra, quibus, ut paullo ſupra dixi, graviſſimos tuos errores tegi poſſe arbitratus es, accedam. Verba autem illa ſunt haec. *Vix aliter in tam ancipiti judicii alea, cum nondum mihi omnes Codicum copiae praeſto eſſent, evenire potuit, quam ut quaſdam lectiones prioribus omnibus probatas in Contextu ferri ſinerem.* Quid? non oſtendi ne unam ullam quidem earum lectionum, quas modo adtuli, ancipitem habere diſceptationem, eaſque omnes vetuſtis Codicibus remotis dijudicari poſſe? Quod autem paullo poſt ſcribis. *Tantum autem abeſt, ut occultandum mihi hoc aut erubeſcendum eſſe credam; ut ultro etiam lectori imputem, meque vineta mea caedendo ingenui candidique hominis nomen apud aequos judices habiturum eſſe confidam.* Quid? candidine & ingenui hominis eſt, maxima vitia frivolis excuſationibus extenuare velle? Nunc ad ſecundam lectionum claſſem tranſeundum eſt.

Secunda igitur claſſis tres complectitur lectiones

tiones, quas, ſi res eſſet integra, tu mutari malles. Sed imperite: omnino enim retinendae ſunt.

CARM. LIB. IV.

IX. v v. 40. 1. 2. 3. 4. Sed quotiens bonus atque fidus
Judex honeſtum praetulit utili,
Rejecit alto dona nocentium
Vultu, per obſtantis catervas
Explicuit ſua victor arma.

Ad v. 43. ſic adnotas. *Particula ET poſt* utili, *& poſt* vultu, *neque in editionibus priſcis neque in ullo codice noſtro comparet: quod & Torrentius aliique de ſuis memorant: & tamen quicumque primus ex conjectura eam addidit, recte & neceſſario id feciſſe videtur.* Immo *ET* utrobique adjectum ſententiae vires imminuit, & corrumpit venuſtatem. Nam adverbium *Quotiens* repetendum eſt ante *Rejecit* & ante *per obſtantis:* Quod quoniam per metrum facere non licuit, Horatius ingenioſe orationis membra demptis connexionum vinculis efferendo, idem adſecutus eſt quod per adverbii iterationem adſecutus eſſet: Etenim figura, quam Cicero *Diſſolutionem* nominat, hic eandem vim & gratiam orationi conciliat, quam figura, quam idem Cicero *Iterationem* appellat, conciliaſſet. Neque hoc repetitionis genus eſſe inſolens oſtendunt v v. 29. 30. & ſeqq. C. 8. L. IV.

. . . . . . Sic Jovis intereſt
Optatis epulis inpiger Hercules:
Clarum Tyndaridae ſidus ab intimis
Quaſſas eripiunt aequoribus rates:

Digitized by Google

Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

Sic enim repetendum ante *Clarum* & ante *Ornatus* recte admonuit H. Stephanus. Ceterum Aldus, ed. 1501. primus, ut puto, utrumque *ET* in contextum induxit.

EPOD. LIB.

XVI. v. 65. *Aerea* dehinc ferro duravit ſaecula: quorum

Aerea, ais, *tolerari non poteſt*, quia *quorum* eo pacto ad *ſaecula aerea* referretur. *Atqui haec ſcribente Horatio ferrea aetas jam proceſſerat.* Quid? ad ſolam aetatem ferream relativum pertinere exiſtimaſti, neque pro *quorum cujus* reponendum vidiſti? Solebant enim, uti nôras, Interpolatores nomen adjectivum ad propinquius ſubſtantivum referre: & idcirco, ſi de ſolo ferreo ſaeculo Poëta loqueretur, *cujus* omnino reſcribi deberet, ut relativum cum *ferro* longinquiore ſubſtantivo conveniret. Retinendum tamen eſt *quorum*: quia, cum Vates piis hominibus ab impiis fugam promittat, illis etiam aerei ſaeculi, quod multis & magnis coinquinatum erat vitiis, fugam promittere cenſendus eſt. Adde quod ex illis verbis *aere dehinc ferro duravit ſaecula*, nullis fidiculis commodum extorqueas ſenſum; ex his autem *aerea dehinc* &c. nullo labore elicias commodiſſimum.

EPIST. LIB. I.

XIV. v. 5. Evellas agro, & melior ſit Horatius, an *res*.

D. Heinſius reponit *an rus*, & omnino recte, quia, cum perſona vel res rei, uti hic fit, op-

opponitur, vera ſcribendi ratio propriis & ſuis nominibus utramque inſigniri praecipit: cui praecepto tam facili tamque evidenti morem geſſiſſe Scriptores omnes dubitari vix poteſt. Ideoque credibile non eſt Horatium, ob curioſum verborum dilectum ab optimis Auctoribus mirifice laudatum, voci *rus* quae ultro ſeſe ei offerebat, & qua huic loco aptior inveniri non poterat, *res* latiſſimae poteſtatis vocem praetuliſſe. Recepta itaque lectio ab inſcito Correctore vim verbi *rus* non intelligente ſine dubio manavit. Tu tamen in eo D. Heinſium reprehendis, quod is vulgatum *res* nullo modo poſſe defendi pronuntiavit: ad quam lectionem tuendam, tria adfers exempla. Digeſt. IV. 4. 49. *Vendentibus curatoribus minoris* fundum, *emptor exſtitit Lucius Titius, & ſex fere annis poſſedit, & longe longeque* Rem meliorem *fecit.* Ubi vides ipſa Flacci verba *meliorem rem* de fundo itidem dici, ut hic de agro. O acerrimam ingenii tui aciem! quis etiam te excepto ipſa Flacci verba in illis Jureconſulti videre queat? Nam apud hunc *fundo* nulla res opponitur, apud Horatium ipſi ager ejus opponitur. Deinde e V. Paterculo duo producis exempla. Paterculus L. II. 68. *Quippe pejor illi* res *familiaris, quam* mens *erat.* Et mox 91. *Nec melior illi res familiaris quam mens foret.* Ecquiſnam eſt qui haec Vellei verba & ſententiae tuae plurimum obeſſe & Heinſianam emendationem non parum adjuvare vel primo aſpectu non videat? nam is verbum generale *res* verbo

Digitized by Google

mens non opponit, ſed certam rem verbo *familiaris* adjecto *menti* opponit.

Ex quibus omnibus facile intelligas in eo te graviter erraſſe, quod lectiones illas tres e contextu ejici maluiſti: recte enim facti poenitentia peccatum eſt turpiſſimum.

Tertia denique Claſſis lectiones continet tres.

SERM. LIB. II.

II. vv.84,85. Seu recreare volet tenuatum corpus, *ubique* Accedent anni, & tractari mollius aetas

Ubi tu in Notis ex conjectura reponis *ubive*; & ita legerat vetus Commentator, *cum langueſcere coeperis aut ſeneſcere*, & Juvencius in interpretatione *ſive demum conſenuerit ac benigniore victu infirma & ingraveſcens aetas erit curanda.* Atque ita quoque Britannicus in Commentario ad hunc verſum.

IV.v.60. Poſt *vina* ſtomacho: perna magis, ac magis hillis

Vina hic ideo, ni fallor, legendum eſſe conjeceras, quod Interpolator, poſteriorem ejus ſyllabam hic eſſe productam ignorans, *Vina* in *Vinum* mutaverat. *Vinum* tamen quod habent omnes codices & editiones recte cenſuiſti eſſe melius; neque hic, ut alibi, contra illam peccaſti obſervationem, quae tradit regulas emendandi inventas eſſe ad corrupta ſananda, non ad corrumpenda ſana.

EPIST. LIB. I.

XIX. v. 29. Temperat Alcaeus, *&* rebus & ordine diſpar,

Quod

Digitized by Google

Quod in contextu *ET* pro *ſed* induxiſti levis eſt error, & idcirco conjecturis ineptis adnumerari non debet.

Reſtat ut illa lectio *rectis oculis* adferatur.

CARM. LIB. I.

III. v v. 17,18,19,20. Quem mortis timuit gradum,
Qui ſiccis oculis monſtra natantia,
Qui vidit mare turbidum, &
Infamis ſcopulos Acroceraunia?

Equidem is non ſum, qui te debita laude fraudare velim; Itaque in primis te laudandum eſſe arbitror, quod uno verbo *rectis* duo Joh. Dryden egregie interpretatus es: atque hujus eximii Poëtae quatuor verſus, quibus is illorum Horatii vim ac majeſtatem partim expreſſit, partim cum eo contendens quiddam altius proferre voluit, lubens ſubjiciam.

What form of death cou'd him affright,
Who *unconcern'd* with *ſtedfaſt* ſight
Cou'd view the ſurges mounting ſteep,
And Monſters rolling in the deep?

Qui verſus extant in *miſcellan. poëmatum* edit. tertiae parte ſecunda, quae Londini in lucem prodiit. A. 1702. Quoniam autem in Notis hac de re ſcripſi fuſius, in praeſenti haec adſcribere ſufficiat, quod in praefatione verba illa, *Siccis oculis nimium patienter tuli*, *cujus loco*, ſi res nunc *integra eſſet*, Rectis oculis *ſine dubitatione ſubſtituere velim*, & haec verba, quae in extrema Nota ad hunc verſum habes, *ſatis jam, opinor, & abunde pervici-*

mus, *aut ſcripſiſſe* Rectis oculis *Flaccum*, *aut ſaltem debuiſſe*, inter ſe pugnant: nam ſi illud non conſtat, Horatium ſcilicet *Rectis oculis* ſcripſiſſe, ſed id aut ſcripſiſſe aut ſaltem debuiſſe, *Rectis oculis* in contextum *ſine dubitatione* recipi non debet. Deinde cum ad accurati Critici munus, ut primo capite dixi, illud pertineat, ut veriſimilem quoque lectionem occupet ac refellat, in eo reprehendendus videris, quod illam conjecturam *Fixis oculis* non adjeciſti, quae quidem lectio duobus viris doctis quibuſcum eam communicavi ita placuit ut tuae praeferendam eſſe dicerent; ego vero eam, non quo probarem ſed ut improbarem, propoſueram.

CAPUT III.

CCLXX. loci in Horatio ex fidiſſimis obſervationibus emendati.

Emendationum, quas hoc capite adduxi, triplex eſt ordo; primus continet eas, quae tollunt vitia quibus indocti Correctores ob ignoratam verborum conſecutionem Horatii Poëmata contaminaverunt. Atque haec quidem emendandi regula quae rectam verborum conſtructionem Auctoribus reſtituit, ad veteres libros emaculandos utilitates habet vel maximas. Quamquam autem ea tibi fuit percognita, tamen e quinquaginta amplius emendationibus,

Digitized by Google

dationibus, quas ipſa mihi ſuppeditavit, ne unam quidem in mentem tibi veniſſe animadverti: quam ob rem illud a me primo capite veriſſime dictum eſſe *Te omnibus regulis tibi cognitis uti neſciviſſe*, tute ipſe negare non poteris.

Secundi ordinis emendationes aliis artis praeceptionibus ſuam debent originem; haec autem artis praecepta hic non adſcripſi, tum quod in Notis poſita ſunt, tum quod emendationes ipſae per ſe praecepta unde profectae ſunt intelligenti Critico haud obſcure commonſtrabunt.

Ordo denique tertius concinniorem verborum inducit collocationem; numerorum enim Horatium etiam in Sermonibus & Epiſtolis fuiſſe ſtudioſum quatuor vel quinque ſubnixus obſervationibus evidenter in Notis oſtendi.

Emendationum Ordo I.

CARMINUM LIB. I.

III. v. 22. Prudens Oceano *diſſociabile*

VII. v. 17. *Perpetuum*: ſic tu ſapiens finire memento

IX. v. 6. Large reponens; atque *benignior*

v. 14. *Quod* Fors dierum cumque dabit lucro.

X. v. 14. Ilio dives Priamus *relicta*

XXII. v. 21. Pone ſub curru nimium *propinquo*

XXIV. v. 13. Quid? ſi Threïcio *blandior* Orpheo

Digitized by Google

XXV. v. 6. Cardines. *audit* minus & minus jam

XXVII. v. 3. Morem: *verecundique* Bacchum

XXX. v. 3. Ture, te *multum* Glyceræ decoram

XXXV. v. 29. Serves iturum Cæſarem in *ultimi*

LIB. II.

X. v. 18. Sic erit: quondam citharae *tacentis*

XVI. v. 18. Multa? quid *terris* alio calentis

XVII. v. 29. *Dexter* levaſſet, Mercurialium

LIB. III.

XIV. v. 5. *Unice* gaudens mulier marito,

v. 11. Jam *virûm expertes*,

XVIII. v. 11. Feſtus in pratis vacat *otioſa*

XIX. v. 20. Cur *pendent* tacita fiſtula cum lyra?

XXVII, v. 34. Oppidis Cretam, *ô patris*! ô relictum

LIB. IV.

I. v. 9: *Tempeſtivior* in domum

II. v. 41. Concines *laetaſque* dies & Urbis.

v. 49. *Tumque* dum *procedit*, Io triumphe

IV. v. 53. Gens, quae *cremata* fortis ab Ilio

EPOD. LIB.

II. v. 21. *Quis* muneretur te, Priape, & te, pater

v. 63. Videre *feſſas* vomerem inverſum boves

IV.

Digitized by Google

IV, v. 17. Quid attinet tot, *oro*, navium gravi.

VII. v. 16. Menteſque *perculſi* [vel *percuſſi*] ſtupent

X. v. 13. Cum Pallas *uſta* vertit iram ab Ilio

XVI. v. 38. Inominata *perprimant* cubilia.

v. 48. *Leve* crepante lympha deſilit pede :

XVII. v. 32. Neſſi cruore, nec Sicana *fervidum*

CARM. SAEC.

v. 26. Quod ſemel dictum *ſtabile uſque* rerum

SERM. LIB. I.

II. v. 81. Sit licet *hoc*, Cerinthe, *tuae*, tenerum eſt femur, aut crus

III. v. 44. Si quod ſit *vitii*, non faſtidire. Strabonem

v. 117. Et qui nocturnus ſacra *Dîs ſublegerit*, adſit

IV. v. 25. Culpari *digni*. quemvis media erue turba ;

V. v. 54. *Contulerint* lites : Meſsî clarum genus Oſci:

VI. v. 53. Me *poſſit*, caſu quod te ſortitus amicum ;

VIII. v. 10. *Hic* miſerae plebi ſtabat commune ſepulcrum,

LIB. II.

I. v. 56. Sed *male* tollet anum vitiato melle cicuta.

III. v. 43. Quem mala ſtultitia & *cujuſque* inſcitia veri

v. 156. Quanti *emtum*? Parvo. Quanti ergo? Octuſſibus. Eheu!

IV. v. 89. Ducere me auditum, perges *quumcumque*, memento.

Digitized by Google

V. v. 11. Sive aliud *privi* dabitur tibi, devolet illuc;

v. 20. Pauper eris. *forte* hoc animum tolerare jubebo.

VI. v. 29. *Quid tibi vis, inſane? quae agis rerum?* improbus urguet

VII. vv. 34. 35. { Convivam, Nemon' oleum *fers* ocius? ecquis
Audis? cum magno blateras clamore, fugiſque. }

EPIST. LIB. I.

II. v. 31. Ad ſtrepitum citharæ *ceſſanti* ducere curam.

VI. v. 59, Differtum *transferre* forum populumque jubebat;

VII. v. 52. Demetri (puer hic non *laevus* juſſa Philippi

XII. v. 15. Nil *parvi* ſapias, & adhuc ſublimia cures:

XVII. v. 11. Si prodeſſe tuis, paulloque *benignior* ipſum.

EPIST. LIB. II.

I. v. 112. Invenior Parthis mendacior; & *prior* orto

II. v. 32. Clarus ob id *facti*, donis ornatur honeſtis,

v. 81. Ingenium ſibi *qui* vacuas deſumſit Athenas;

v. 83. Libris & curis; ſtatua *taciturnior* exit,

ARS POET.

v. 271. Laudavere ſales; nimium patienter *utroſque*,

v. 443. Nil ultra *verbi* aut *operae* inſumebat *inanis*.

Emen-

Digitized by Google

Emendationum Ordo II.

CARM. LIB. I.

I. v. 3. Sunt quos curriculo pulverem *Olympium*

II. v. 15. Ire *disjectum* monumenta Regis,

VII. v. 27. Nil deſperandum, Teucro duce, & *obſide* Teucro.

VIII. v. 2. Te Deus oro, Sybarin *quid* properas amando

XII. v. 31. Et minax (*ſic* I *voluere*) ponto

XIV. v. 1. O navis, *referunt* in mare te novi

v. 5. *Ut* malus celeri ſaucius Africo

XV. v. 32. Non *ſic* pollicitus tuae.

XVI. v. 28. Opprobriis, *animamque* reddas.

XVII. v. 18. Vitabis *ictus*; & fide Teia.

v. 20. Penelopen vitreamque *Circam*.

XVIII. v. 14. Cornu tympana, quae ſubſequitur caecus amor ſui, *&*

XXII. v. 12. Fugit *inermum*:

XXXIV. v. 13. Mutare; & *inſignia* attenuat Deus,

XXXVII. v. 18. Mollis columbas, *ut* leporem citus

LIB. II.

I. v. 33. Qui gurges? *ecquae* flumina lugubris

II. v. 1. Nullus argento *honor* eſt avaris

III. v. 23. De gente ſub dio *morere*;

XIV.

Digitized by Google

XIV. v. 28. *Pontificiis* potiore coenis.

XVI. v. 21. Scandit aeratas vitioſa *proras*

v. 31. *Forſit & nobis*, tibi quod negarit

XVII. v. 26. *Fauſtum* theatris ter crepuit ſonum.

XVIII. v. 40. Vocatus atque non vocatus *adſtat*.

LIB. III.

I. v, 30. Funduſve mendax; arbore nunc aquas

IV. v. 12. Fronde nova puerum *palumbae*

v: 44. Fulmine ſuſtulerit *acuto*.

v. 46. Ventoſum, & *orbis*, regnaque triſtia,

VI. v. 20. In patriam *populoſque* fluxit,

v. 45. *Annoſa* quid non inminuit dies?

IX. v. 20. *Ejectaeque* patet janua Lydiae?

XIII. v v. 6. 7. { Fruſtra; nam *gelidas* inficiet tibi
Rubro ſanguine *ripas*

XIV. v. 11. Jam virûm expertes, *male ô ominatis*

vel *male ab ominatis*

XVII. v. 15. Curabis, & *porca* bimeſtri,

XXV. v. 2. Plenum? quae nemora?.. quos agor in ſpecus

XXVI. v. 7. Funalia, & vectis, & *harpas*

XXVII. v. 2. *Ducit*, aut praegnans canis, aut ab agro

v. 14. *At* memor noſtri, Galatea, vivas:

v. 15.

Digitized by Google

v. 15. *Namque* nec laevus vetat ire picus,

v. 23. Aequoris nigri fremitum ; ... trementis

XXIX. v. 18. *Oſtentat* ignem : jam Procyon furit;

v. 28. Bactra parant, Tanais*ve* diſcors.

LIB. IV.

IV. v. 43. Ceu flamma per taedas, *ut* Eurus

v. 52. Fallere & effugere ... triumphus.

V. v. 13. Votiſ*que* ominibuſque, & precibus vocat;

v. 18. Nutrit *culta* Ceres, almaque Fauſtitas:

VI. v. 10. Pinus, aut *impreſſa* cupreſſus Euro,

v. 25. Doctor *Argeae* fidicen Thaliae,

VIII. v. 17. Non *inpendia* Carthaginis inpiae;

XI. v. 13. Ut tamen noris, quibus *advocere*

XIII. v. 13. Nec Coae *referant* jam tibi purpurae;

v. 17. Quo fugit Venus? heu! *quo* color? *heu!* decens;

v. 23. Annos Fata *dedere*,

EPOD. LIB.

V. v. 60. Meae *elaborarint* manus.

VI. v. 16. Inultus ut, *flêro*, puer?

XI. v. 19. *Ut* haec ſeverus te palam laudaveram;

v. 22. Limina dura, quibus lumbos*que* & infregi latus.

XIV.

Digitized by Google

XIV. v. 6. Deus, Deus *me* me vetat

XV. v. 15. Nec ſemel *inſenſae* cedet conſtantia formae ;

XVI. v. 34. Amet*ve* ſalſa levis hircus aequora.

v. 41. Nos manet Oceanus circumvagus arva beata; *haec* :

XVII. v. 36. Quae finis? *ecquod* me manet ſtipendium?

SERM. LIB. I.

I. v. 68. Tantalus *ab* labris ſitiens fugientia captat

v. 76. An vigilare metu *exanimum*, noctiſque dieſque

v. 100. Diviſit medium, fortiſſima *Tyndarearum* (vel *Tyndariarum*:)

II. v. 24. Dum vitant ſtulti vitia, in contraria *vergunt*.

v. 61. Officit, evitare? bonam *diſperdere* famam,

v. 90. Hoc illi *apte. nae* tu, corporis optima Lyncei

v. 131. Cruribus haec metuat, doti *illa prenſa*, egomet mi?

IV. v. 74. Non *ubi ubi*, coramve quibuſlibet. in medio qui

v. 95. Te coram fuerit; *defenſes*, ut tuus eſt mos.

V. v. 43. O, qui conplexus, & gaudia quanta *fuere!*

VI. v. 37. Omnis mortalis curare *requirere* cogit.

VIII. v. 43. Abdiderint furtim terris? *ut* imagine cerea

X. v. 34. In ſilvam non ligna feras *inſanior*, ac ſi

LIB.

Digitized by Google

LIB. II.

I. v. 51. *Imperitet* Natura potens, ſic conlige mecum.

II. v. 28. Quam laudas, pluma? *Coction' &* adeſt honor idem?

v. 30. Inparibus formis deceptum te patet. *iſtoc*

v: 105. Non aliquid patriae *e* tanto emetiris acervo.

III. v. 50. Ille ſiniſtrorſum, hic dextrorſum abit, unus *utrimque*

v. 62. Mater te adpello, *inclamantibus.* huic ego volgus

v. 157. Quid refert morbo, an furtis peream, *anne* rapinis?

v. 172. Ferre ſinu laxo, donare, *credere* vidi;

v. 246. Quorſum abeant *cenſen'*? creta, an carbone notati?

v. 288. Juppiter ingentis qui *daſque* adimiſque labores;

v. 318. Major *dein.* num tantum? *major.* cum magis atque

IV. v. 13. Ut ſucci melioris, & ut magis *alta* rotundis,

v. 48. Nequaquam ſatis *eſt*...re una conſumere curam:

v. 65. At *miſtum* miſcere mero muriaque decebit

V, v. 100. Et certum vigilans *eſto quadrantis* Ulixes,

VI. v. 99. Ambo propoſitum *celerant* iter, urbis aventes

v. 114. *Exanimi* trepidare, domus ſimul alta Moloſſis.

VII. v. 27. Ne quicquam *e* coeno cupiens evellere plantam.

VIII. v. 29. Ut vel continuo patuit, cum paſſeris aſſi, *atque*

v. 91. Vidimus & merulas poni, & ſine clune *palumbos*;

EPIST.

Digitized by Google

EPIST. LIB. I.

V. v, 14. Adſidet inſano potare ... ſpargere flores

VI. v. 30. Si Virtus hoc una *potis* dare; fortis omiſſis

VII. v. 3. Si me *vis vivum*, ſanum, recteque valentem;

v. 53. Accipiebat) abi, *quaere*, *refer*, unde domo, qui,

v. 55. It, redit, *enarrat*, Volteium nomine Maenam,

XII. v. 20. *Empedocleum*, an Stertinium deliret acumen.

XIII. v. 17. Carmina, quae poſſint oculoſ*que* auriſque morari

XIV. v. 8. Inſolabiliter; tamen iſtuc menſ*que* animuſque

XV. v. 6. *Doctaque* ceſſantem nervis elidere morbum

v. 42. Nimirum hic ego ſum: *tutus nam* parvola laudo,

XVIII. v. 54. Proelia *ſuſtentes* campeſtria: denique ſaevam

v. 89. Oderunt *hilarum* triſtes, triſtemque jocoſi,

XIX. v. 24. Oſtendi Latio; numeroſ*que* animoſque ſecutus

LIB. II.

I. v. 1. Cum tot *ſuſtentes ac* tanta negotia ſolus,

v. 6. Poſt ingentia facta *Deûm haud* in templa recepti,

v. 41. Inter quos referendus erit? vetereſne *probatos*,

v. 53. Naevius in manibus non eſt? *non* mentibus haeret

v. 97. Suſpendit picta voltum*que animum*que tabella:

v. 153. Poenaque *ſancta*, malo nollet quae carmine quemquam

v. 167.

v. 167. Sed turpem putat in *ſchediis*, metuitque lituram.
v. 246. Munera, quae multa dantis cum laude *tulere*,
v. 249. Quam per vatis opus moreſ*que* animique virorum
II. v. 176. Heredem, *ulterior* velut unda ſupervenit undam;
v. 183. Cur alter fratrum *et* ceſſare, & ludere, & ungui

ARS POET.

v. 141. Dic mihi, Muſa, virum, captae poſt *Pergama* Trojae.
v. 276. Dicitur & ploſtris *vectaſſe per Hellada* Theſpis
v. 330. Semis. *Et*, haec animos aerugo & cura peculi

Emendationum Ordo III.

CARM. LIB. I.

VII. v. 11. Nec tam *percuſſit Lariſſae* campus opimae,
XXVI. v. 9. Pimpleï dulcis. *te ſine* nil mei

LIB. II.

XVIII. v. 15. Truditur *die dies*,
v. 27. In ſinu *Deos ferens*

LIB. III.

XXIX. v. 41. Irritat amnis. Ille *ſui potens*

Digitized by Google

LIB. IV.

V. v. 26. Quis Germania quos *parturit horrida*

EPOD. LIB.

XV. v. 3. *Magnorum numen cum tu* laeſura Deorum

XVI. v. 1. Altera jam *bellis teritur* civilibus aetas;

v. 35. Haec, & quae *reditus poterunt* abſcindere dulcis,

SERM. LIB. I.

I. v. 5. Miles ait, multo *fractus jam* membra labore.

v. 62. Nil ſatis eſt, inquit, *tanti quia*, quantum habeas, ſis.

v. 67. Ipſe domi, *nummos ſimul ac* contemplor in arca.

v. 81. Aut alius *lecto caſus* te adfixit; habes qui

II. v. 83. Adde huc; quod mercem *fucis ſine* geſtat, aperte;

v. 117. Ancilla, aut verna *praeſto eſt* puer....

v. 126. Ilia & Egeria eſt: *nomen do* quod libet illi.

III. v. 48. Balbutit Scaurum, *talis* fultum male *pravis*.

v. 94. Sit mihi? quid faciam, *furtum ſi* fecerit, aut ſi

IV. v. 54. Non ſatis eſt *verſum puris* perſcribere verbis;

V. v. 18. Incipit; ac *paſtum miſſae* retinacula mulae

v. 87. Manſuri oppidulo, *verſu quod* dicere non eſt,

v. 102. Nec, ſi quid *faciat miri* Natura, Deos id

v. 103. *Ex alto coeli triſtis* demittere tecto.

VI. v. 71. Cauſa fuit pater *his*: *macro qui* pauper agello

v. 102.

Digitized by Google

v. 102. Et comes alter, uti *ſolus ne* rufve peregreve

VII. v. 6. Durus homo; atque odio *poſſet qui* vincere Regem;

IX. v. 48. Summôſſes omnis. *Iſto non* vivitur illic,

X. v. 32. Verſiculos, *tali vetuit* me voce Quirinus,

LIB. II.

I. v. 21. Quanto rectius hoc, *triſti quam* laedere verſu

II. v. 4. Diſcite, non *lances inter* menſaſque nitentis;

v. 19. Quî partum? *caro non in* nidore voluptas

v. 53. Sordidus a *victu tenui* diſtabit, Ofello

v. 66. In neutram *cultûs partem* miſer....

III. v. 100. Graecus Ariſtippus? *ſervos qui* projicere aurum

v. 112. Projectus vigilet *longo cum* fuſte, neque illinc

v. 137. Quin, ex quo eſt habitus *tutae male* mentis Oreſtes,

v. 222. Et furioſus erit. *cepit quem* vitrea fama,

v. 236. Segnis ego, indignus *tantum qui* poſſideam. aufer;

v. 277. Hellade percuſſa, Marius *ſe praecipitat cum*,

IV. v. 15. Cole ſuburbano, *ſiccis qui* crevit in agris,

v. 22. Aeſtates peraget, *nigris qui* prandia moris

v. 39. Languidus in cubitum *ſe jam* conviva reponet.

v. 51. Maſſica *ſubpones coelo ſi* vina fereno,

VI. v. 25. Sive Aquilo *terras radit*, ſeu bruma nivalem

v. 66. Ante Larem *veſcor proprium*: vernaſque procacis

Digitized by Google

v. 67. *Libatis paſco* dapibus. prout cuique libido eſt,

VII. v. 93. Urguet enim *mentem dominus* non lenis, & acris

v. 102. Nil ego, ſi *libo ductor* fumante: tibi ingens

VIII. v. 72. Ut modo, ſi patinam *lapſus pede* frangat agaſo.

v. 79. *Nullos his* mallem ludos ſpectaſſe: ſed illa

v. 87. Membra gruis *multo ſparſi ſale* non ſine farre.

EPIST. LIB. I.

I. v. 35. Poſſis, & *morbi magnam* deponere partem.

v. 93. Nauſeat ac locuples, *ducit quem* priva triremis.

II. v. 41. Incipe. vivendi *recte qui* prorogat horam,

v. 52. Ut lippum *tabulae pictae*, fomenta podagram,

V. v. 5, *Minturnas inter* Sinueſſanumque Petrinum.

VI. v. 13. Si, quidquid *melius vidit* pejuſve ſua ſpe,

v. 56. Si bene qui coenat, *vivit bene*; lucet, eamus

VII. v. 5. Maecenas, veniam: *ficus dum* prima, calorque

X. v. 41. Serviet aeternum, *parvo quod* neſciet uti.

v. 49. Haec tibi dictabam *fanum poſt* putre Vacunae,

XI. v. 30. Eſt ulubris, animus *te ſi* non deficit aequus.

XII. v. 4. Pauper enim non eſt, *rerum cui* ſuppetit uſus.

v. 14. Cum tu *tantam inter* ſcabiem & contagia lucri

v. 25. Ne tamen ignores *res quo Romana loco ſit:*

XIV. v. 16. Me *mihi conſtare* ſcis, ac diſcedere triſtem,

v. 28.

Digitized by Google

v. 28. Disjunctum curas, *ſtrictis & frondibus* exples.

v. 31. Nunc age, *concentum quid noſtrum* dividat, audi.

XV. v. 28. Scurra vagus, *certum non qui* praeſepe teneret;

v. 29. Inpranſus *civem non qui* dignoſceret hoſte.

v. 38. Si quid erat *praedae nactus* majoris, ubi omne

v. 41. Nil melius turdo, *volva nil* pulchrius ampla.

v. 44. Verum, ubi *contingit melius quid* & unctius; idem

XVI. v. 70. Serviet utiliter: *paſcat ſine* durus aretque:

XVIII. v. 13. Ut puerum *credas ſaevo* dictata magiſtro

v. 14. Reddere, vel *mimum partis* tractare ſecundas.

v. 33. *Pulchris cum* tunicis, ſumet nova conſilia ac ſpes;

XIX. v. 48. Ludus enim *trepidum genuit* certamen, & iram;

XX. v. 28. Conlegam Lepidum *duxit quo* Lollius anno.

LIB. II.

I. v. 70. Eſſe reor, memini *plagoſum quae* mihi parvo

v. 73. Inter quae *emicuit verbum* ſi forte decorum,

v. 108. Mutavit *populus mentem* levis, & calet uno

v. 153. Poenaque ſancta, malo *nollet quae* carmine quemquam

v. 164. Tentavit quoque rem *digne ſi* vertere poſſet:

v. 191. Mox *manibus trahitur* regum fortuna retortis:

v. 259. Rem tentare pudor, *vires quam* ferre recuſent.

II. v. 21. Talibus officiis *mancum prope*: ne mea ſaevus

Digitized by Google

v. 27. Aerumnis, laſſus *noctu dum* ſtertit, ad aſſem

v. 40. Ibit eo, quo vis, *zonam qui* perdidit, inquit.

v. 74. Triſtia *luctantur robuſtis* funera ploſtris:

v. 162. Te dominum ſentit. *nummos das*: accipis uvam,

v. 201. Non *tumidis agimur* velis Aquilone ſecundo;

v. 215. Tempus abire tibi eſt: *potum ne* largius aequo

ARS POET.

v. 187. Aut in avem Progne, *Cadmus vertatur* in anguem.

v. 191. Nec Deus interſit, *dignus ni* vindice nodus

v. 249. Nec; ſi quid *ciceris fricti* probat & nucis emptor,

v. 253. Nomen Iambeis, *ſenos cum* redderet ictus

v. 302. Qui purgor bilem *verni ſub* temporis horam!

v. 422. Si vero eſt, unctum *recte qui* ponere poſſit,

v. 427. Nolito ad verſus *factos tibi* ducere plenum

v. 470. Nec ſatis adparet, *verſus cur* factitet; utrum

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Alii loci ex Obſervationibus emendati.

CUm Graecae propriorum nominum terminationes *os*, *on*, *an*, *a*, *en* aures magis demulceant quam Latinae *us*, *um*, *am*, *em*; cumque illas in has Interpolatores mutare conſueverint; & cum tu *Scorpios*, *Aeſchylos*, *Choerilos*, *Phaſelon*, *Apellen*, *Ulixen*, *Lycidan* e tuis libris depromſeris; cumque in N. Heinſii ad Ovidium, V. Flaccum, Claudianum & Prudentium Notis, quas olim te diligenter evolviſſe conſtat, ſimilia multa inveneris, tuam non poſſum ſatis admirari tarditatem, quod iis nuſquam uſus es obſervationibus: ego ſane quin earum ope multi loci reſtitui poſſent dubitandum non eſſe exiſtimavi: quare ſequentia ſic lego.

CARM. LIB. I.

VII. v. 2. Epheſon.

XVIII. v. 9. Evios.

XIX. v. 10. Cypron.

XXII. v. 7. Caucaſon.

XXVII. v. 24. Pegaſos.

XXVIII. v. 8. Tithonoſque.

LIB. II.

IV. v. 4. Achillen.

XI. v. 17. Evios.

XIII. v. 14. Boſporon.

v. 22. Aeacon.

XIV. v. 20. Siſyphos.

XVI. v. 29. Achillen.

v. 30. Tithonon.

XIX. v. 13. Rhoeton.

v. 29. Cerberos.

Digitized by Google

LIB. III.

IV. v. 30. Boſporon.

v. 55. Rhoetos.

v. 56. Encelados.

v. 76. Aetnen.

VII. v. 5. Oricon.

v. 13. Praeton.

XI. v. 17. Cerberos.

XX. v. 6. Nearchon.

XXIX. v. 4. Balanos.

LIB. IV.

VIII. v. 25. Aeacon.

XI. v. 21. Telephon.

EPOD. LIB.

I. v. 12. Caucaſon.

III. v. 12. Jaſona.

VI. v. 5. Moloſſos.

XV. v. 20. Pactolos.

XVII. v. 8. Telephos.

XVII. v. 68. Siſyphos.

SERM. LIB. I.

III. v. 47. Siſyphos.

VII. v. 12. Achillen.

EPIST. LIB. I.

III. v. 3. Hebroſque.

VI. v. 40. Chlamydas.

XI. v. 6. Lebedon.

v. 7. Lebedos.

XVI. v. 13. Hebros.

XVII. v. 36. Corinthon.

XIX. v. 15. Iarbitan.

LIB. II.

I. v. 193. Corinthos.

ARS POET.

v. 79. Archilochon.

v. 96. Telephos.

v. 120. Achillen.

Sequuntur loci ubi *Nil*, *Ni*, *Mi*, pro *Nihil*, *Niſi*, *Mihi*, reponi debent.

SERM.

Digitized by Google

SERM. LIB. I.

VII. v. 9. *Nil* inter utrumque

LIB. II.

I. v. 79. *Nil* hinc.

II. v. 29. *Nil* hic.

III. v. 92. *Nil* acrius.

v. 116. Mille cadis, *nil* eſt.

IV. v. 16. *Nil* eſt elutius,

VI. v. 8. *Nil* horum,

VIII. v. 57. *Nil* eſſe pericli.

EPIST. LIB. I.

II. v. 46. *Nil* amplius optet,

XVI. v. 53. Tu *nil* admittes.

EPIST. LIB. II.

I. v. 65. Ut *nil* anteferat

II. v. 71. *Nil* ut meditantibus

ARS POET.

v. 385. Tu *nil* invita

SERM. LIB. I.

IV. v. 47. *Ni* quod

V. v. 79. *Ni* nos

LIB. II.

I. v. 78. *Ni* quid

III. v. 285. *Ni* litigioſus

EPIST. LIB. I.

II. v. 5. *Ni* quid te detinet

V. v. 27. Et *ni* coena

LIB. II.

II. v. 16. *Ni* te

ARS POET.

v. 191. Dignus *ni* vindice

SERM. LIB. II.

III. v. 75. *Mi* crede

EPIST. LIB. I.

XVI, v. 56. Pacto *mi*

Loci ubi *Neu* pro *Nec*, & *Neque* pro *Nec* legi debent.

CARM. LIB. I.

XI. v. 2. . . . . . *Neu* Babylonios.

Digitized by Google

LIB. II.

II. v. 4. *Neque* Armeniis

VII. v. 19. Depone ſub Lauru mea: *neu*

XI. v. 4. Quaerere: *neu* trepides in uſum

XII. v. 2. *Neu* durum Hannibalem, *neu* Siculum mare.

v. 5. *Neu* ſaevos Lapithas.

LIB. III.

XXIX. v. 6. *Neu* ſemper udum tibur.

EPOD. LIB.

V. v. 67. *Neque* herba

XVI. v. 27. *Neu* converſa domum.

v. 52. *Neque* intumeſcit

SERM. LIB. I.

IV. v. 73. *Neu* recitem.

LIB. II.

I. v. 14. Agmina, *neu* fracta.

EPIST. LIB. I.

I. v. 30. *Neu* quia deſperes.

v. 266. *Neu* prave factis.

ARS

Digitized by Google

ARS POET.

v. 289. *Neu* virtute foret.

v. 416. *Neu* ſatis eſt dixiſſe.

Jam illud hic, V. C. ſilentio praetereundum non eſt quod ad Carm. Lib. III. XI. v. 43.

Mollior *nec* te feriam, *neque* intra,

de particulis *neque nec* animadvertiſti: ubi ais. *Illud animadverto, varietatis hic gratiam quaeſiviſſe Noſtrum, &, quoties liber erat a metri neceſſitate*, nec neque *vel* neque nec *non bis eandem particulam poſuiſſe, ut Carm.* I-6. *v.* 5.

Nos, Agrippa, *neque* haec dicere, *nec* gravem

Atqui hoc exemplum tuae obſervationi omnino adverſatur; nam *neque* ante gravem ponere per metri legem non poterat. Sed ut ad tuam revertar animadverſionem. Virgilius Bucol. X. vv. 11. 12.

Nam *neque* Parnaſſi vobis jura, nam *neque* Pindi
Ulla moram fecere, *neque* Aoniae Aganippae.

& vv. 29. 30.

Nec lacrimis crudelis amor, *nec* gramina rivis,
Nec cytiſo ſaturantur apes, *nec* fronde capellae.

His inquam verſibus animadverſionem tuam Maro funditus evertit: nam *nec* ante *Parnaſſi* vel ante *Aoniae* poni metri lex non vetabat, & in vv. 29. 30. ubi quater habetur *nec* lex eadem *neque* ante *gramina* & *neque* ante *fronde* non reſpuebat. Sed ut verbo praecidam; Poëtam

Digitized by Google

tam noſtrum hac in re, numeris non varietati inſerviiſſe, tribus adjutus obſervationibus, ad quas firmandas Virgilium non negligenter evolvi, in Notis plane demonſtravi.

Deinde ais. *Ergo & hic ex Mſtis. legendum; nec* te feriam, *neque* intra. *Et ſimiliter in toto opere decies, opinor, vel amplius ex melioribus membranis revocavimus.* Atqui tu *nec* pro *neque* deteriores libros ſecutus ſexies male in contextum recepiſti.

CARM. LIB. II.	XXI. v. 19. *Nec* iratos.
IX. v. 15. *Nec* inpubem	EPOD. LIB.
XVI. v. 8. *Nec* auro.	II. v. 6. *Nec* horret.
LIB. III.	SERM. LIB. I.
XII. v. 1. *Nec* amori	II. v. 122. *Nec* cunctetur

Jam quod in nonnullis locis *neque* pro *nec* & contra *nec* pro *neque* recte poſuiſti, id non conſilio & ratione, verum caſu a te factum ſex illi errores facile evincunt.

Nunc locos, ubi *Ac* pro *Et* legendum eſſe arbitror, ſubjiciam.

CARM. LIB. I.	LIB. III.
X. v. 5. *Ac* Deorum.	III. v. 1. *Ac* tenacem.
LIB. II.	XVI. v. 7. *Ac* Venus.
VIII. v. 10. *Ac* toto.	XXIV. v. 46. *Ac* Turba.
IX. v. 18. *Ac* potius.	LIB. IV.
XVI. v. 19. *Ac* Deorum.	IV. v. 29. *Ac* bonis.

III.

Digitized by Google

III. v. 100. *Ac* turpe.
VI. v. 97. *Ac* fellis.
VIII. v. 45. *Ac* facta.
X. v. 15. *Ac* melius.

LIB. II.

III. v. 9. *Ac* praeclara.

EPIST. LIB. I.

II. v. 60. *Ac* mens.
III. v. 22. *Ac* turpiter.
v. 32. *Ac* reſcinditur.
VII. v. 20. *Ac* ſtultus.
v. 46. *Ac* fortis.
v. 66. *Ac* ſalvere.
VIII. v. 3. *Ac* pulchra.
X. v. 33. *Ac* Regum.
v. 19. *Ac* poſſit.
XVI. v. 49. *Ac* frugi.
v. 73. *Ac* ſapiens.
XVII. v. 41. *Ac* perfert.
XIX. v. 49. *Ac* funebre.

LIB. II.

II. v. 124. *Ac* torquebitur.
v. 211. *Ac* melior.

CAPUT V.

Emendationes Bentleianae ab aliis ante animadverſae adferuntur.

CARM. LIB. I.

III. v. 18. *Rectis* oculis.

Rectis a Jo. Dryden, puto, accepiſti.

v. 22. *Diſſociabilis*

Diſſociabiles citat Gualtieri ad Panciroli memorabilia Italico ſermone ſcripta Lib. I. c. 38, & Portaeus in verſione Gallica refert hoc adjectivum ad *terras*; & N. Heinſius in Notis ad

Digitized by Google

ad Val. Flaccum Lib. I. v. 827, citat *diſſociabiles*.

IX. v. 4. *Omnes edd.* ais, *habent notam interrogandi poſt* acuto? Immo praeter edd. Lambini, Fabricii, Xylandri & Venetas 1490. & 1498. tibi in Notis commemoratas, viginti & quatuor edd. plene diſtinguunt poſt *acuto*.

X. v, 1. *Mercuri*, facunde nepos

In omnibus, inquis, *quas vidi editionibus male interpungitur*; atqui Baxteri editio, quam ſaepe laudas, habet comma poſt *Mercuri*, & ita quoque diſtinguunt edd. Juvencii, Junckeri & viduae Thibouſt; & Munckerus ad Mythograph. Latinos P. IIda. pag. 315. ſic ſcribit, *rectius videtur comma collocari ante facunde, ut ad nepos referatur*.

XII. v v. 20. 21. { Pallas honores,
Proeliis *audax*.

Diſtinguis poſt *audax* ut ad *Pallas* referatur. Ed. Ven. 1478, cujus in Notis ſaepe meminiſti diſtinguit poſt *audax*.

v. 43. Avitus arto

Sic ed. 1477. ſed male.

XIII. v. 19. *Divulſos* querimoniis

Ita duae edd. Mureti & totidem Bruti, ſed male.

XVI. v. 8. *Si* geminant

Rodelii edd. tres in contextu habent *ſic*, at is in interpretatione non expoſuit *ſic* ſed *ſi*, ubi ver-

Digitized by Google

verba ejus ſunt haec, *cum ſua repetitis ictibus Cymbala aerea percutiunt.*

XIX. v. 3. *Licentia*,

Hic adnotas *Licentia* grandiore *L* ſcribi debere, quod Dacerius, puto, primus monuit, quem ſecuti ſunt Eduard. a Zurck & Baxterus.

XXIII. v. 5. *Vepris* inhorruit

& ita Gogavus Lib. omiſſ. 26. ed. 1567.

XXXI. vv. 9. 10. { Premant *Calenam* falce, quibus dedit Fortuna, vitem;

Hic adnotat Dacerius Horatium poſuiſſe *Premant Calena falce vitem*. pro *premant falce vitem Calenam*: & Parthenius ait *falci tribuit quod viti fuerat tribuendum*; & Rodelius in interpretatione *Vites illi Calenas, falce putent*; & ita Juvencius in interpretatione, & Tarteron in verſione Gallica jungit *Calenam* cum *vitem*.

V. 19. Non diſtinguis poſt *mente*; & ita edd. Ven. 1516. & Aſcenſ. 1503. & haered. Juntae 1514.

XXXII. v v. 1. 2. 3. Poſcimus, ſi quid vacui ſub antro
Luſimus tecum, quod & hunc in annum
Vivat & pluris,

Ordo, inquis, *omnes Interpretes fefellit.* Immo idem ordo Aſcenſio, qui tibi placuit; & recte vertunt Dacerius & Martignacus.

XXXVIII, v. 6. Sedulus *cura*?

Sic citat Lottichius ad Petron. P. III^a. pag. 278. Sed *curae* legendum.

LIB.

Digitized by Google

LIB. II.

I. v. 21. *Videre*

Ita habent duae edd. Martignaci, & ita citat Beroald. ad Cicer. Tuſculan. L. v. c. 39. & ſic vertit Bienvenu

Il me ſemble que je vois les grands Capitaines.

XII. v. 13. *Licymniae*

Per *i* poſt *L* & *y* poſt *c* ſcribis, & ita duae edd. Xylandri.

XIX. v. 9. *Thyiadas*,

Thyiadas non *Thyadas* ſcribendum e Velio mones, quod ipſum Pierius & Dauſqueius ex eodem Grammatico ante monuerunt.

v. 24. *Horribiliſque*

Sic citat Bochart. Hieroz. Lib. III. c. 2.

LIB. III.

I. v. 44. *Achaemeniumve*

Sic Rodel. & Juvencius in interpret.

II. v. 28. *Fragilemve*

Sic citat Broukhuſius ad Tibullum Lib. III. V. v. 8, & ita Cerutus in interpret.

III. v, 23. *Damnatam*

Sic legendum Glareanus in ed. Baſil. 1580, monet.

X v. 5. *Projectum*

Rodelius in interpretatione *Projectum* habet, *Porrectum* non habet.

XIV. v. 22. Nodo *cohibente*

Et ita citat Muretus ad Tibullum I. 3. v. 6, ita

Digitized by Google

ita quoque citat Barthius ad Virg. Cirin v. 434. & Junius de Pictura, pag. 234.

XVI. v. 41. *Alyattei*

In Theſauro Fabri, ed. 1696. in voce *Alyattes* haec extant; *poſſet & aliquis legere* Alyattei, *ut Ulyſſei, Achillei.*

XVIII. v. 8. Fumat *odore.*

Poſt *odore* plene diſtinguis; & ita notiſſima Rodelii editio.

XXVII. v. 39. *Vitio* carentem

Vitio ex Acrone hauſiſti, cujus verba ſunt, *an ſum ſine vitio.* Verum ante id indicavit Mancinellus, his verbis, *id eſt me, quae vitio caream.*

XXVIII. v. 9. *Lyde*,

Poſt *Lyde*, ponis comma, & ita edd. Juvencii 1696. & Rotomag. 1701.

XXIX. v v. 41. 42. 43. . . . . . ille potens ſui
Laetuſque deget, cui licet in diem
Dixiſſe, *vixi:*

Juvencius hunc locum eodem, quo tu, modo interpungit & enarrat.

LIB. IV.

I. v. 1. *Intermiſſa*,

Diſtinguis poſt *Intermiſſa*, & ita edd. Pulmanni 1564, Frellonii 1559. Vincentii 1571. & Lubinus, Cerutus in Paraphraſi, & Aſcenſ. Chabot. in Commentt. *Intermiſſa* referunt ad *bella.*

Digitized by Google

II. vv. 17, 18, 19. *Sive*, quos Elea domum reducit
Palma *caeleſtis*, pugilemve aequumve
Dicet,

Mala, inquis, *interpunctio libros omnes hic contaminavit*; tu poſt *ſive*, comma ponis, & comma poſt *caeleſtis*, & ſic hos verſus exponis. *Sive dicit pugilem aut equum quos Elea palma nobilitat*; atqui ita interpungit ed. Pulmanni 1566. cum multis aliis, & Aſcenſ. Cerut. Rodel. haec recte enarrant.

vv. 29. 30. *Laborem* ... *Plurimum*,

Non diſtinguis poſt *Laborem*, ſed poſt *Plurimum* & ita Rappoltus in comment. pag. 100.

IV. v. 17. *Videre* Raetis *bella ſub Alpibus*

Ad hunc verſum ſic ſcribis, *Nos jam olim certam hujus loci ſcripturam ex conjectura invenimus.* Olim forte legeras Caſimiri Sarbievii verſum 30. Lyricorum Lib. I. VI.

Pugnata *Raetis* bella ſub Alpibus.

qui verſus non *Raeti* ſed *Raetis* hic legendum eſſe veluti digito monſtrat. Et hujus nobiliſſimi Poëtae Carmina Cantabrigiae quoque in lucem prodierunt.

v. 29. *Bonis*:

Diſtinguis poſt *Bonis*: Juvencius & Rodelius, ut alios omittam, ante te hunc locum recte diſtinxerunt & interpretati ſunt.

VII. v. 19. Cuncta manus *avidi*

Melius, inquis, *avidi quam avidas*. & ita Aſcenſ. in comment. ſed male.

XIII. vv. 17. 18. ..., quove *color*? *decens*
Quo *motus*?

Diſ-

Digitized by Google

Diſtinguis poſt *color?* & *decens* refers ad *motus*: & ita diſtinguit Chabotius in Notis ed. Baſil. 1589.

v. 21. . . . . *notaque* & artium

Tollenda interpunctio poſt notaque, *quae omnes omnino editiones huc uſque*, ais, *obſedit & inquinavit*. Immo Aſcenſii edd. non diſtinguunt poſt *notaque* & is hunc locum recte explicat; *& facies tua nota gratarum artium id eſt propter gratas artes*. Praeterea edd. Aldi 1501. Mureti 1559. Vaſcoſ. R. Steph. 1544. tres Landini & aliorum ſex non diſtinguunt poſt *notaque*; & ed. 1490, tibi cognita non diſtinguit poſt *notaque*.

XIV. v. 20. Indomitus

Et ita Cerutus in Paraphr. ſed male.

EPOD. LIB.

IX. v. 16. Sol aſpicit *conopium*.

Et ita edd. Vaſcoſ. & Ultrajectina Rutgerſii.

XIII. v. 12. *Invicte*, mortalis

Riſum, ais, *hic movent Interpretes qui haec duo*, Invicte mortalis *conſtructione jungunt*. Aſcenſius refert *mortalis* ad *nate*, non ad *Invicte*.

XV. v. 15. . . . *Offenſi*

Sic Gogavus Lib. Omiſſ. p. 35.

XVI. v: 8. *Parentibuſve*

Sic vertunt Beidma & Rider.

v. 16. . . . . *laboribus?*

Poſt *laboribus?* ponis notam interrogandi, & ita Rodelius in interpret.

D 2 CARM.

Digitized by Google

CARM. SAEC.

v. 16. Seu *Genetyllis*:

Hoc Carmen eodem verſuum genere Fed. Morellus Graece tranſtulit & is hoc loco habet Γενετυλλὶ; ejus autem verſio extat in Horatii Poëmatis quae idem Morellus impreſſit Pariſiis 1613.

SERM. LIB. I.

II. v. 122. *Gallis*:

Diſtinguis poſt *Gallis* : & ita diſtinguit Aurelius Leſſignienſis, & haec addit, *iſta diſtingue contra omnia quae ſunt exemplaria.* Vide ed. Baſil. 1580. pag. 1705.

IV. v. 39. ...., dederim quibus eſſe *Poëtis*,

Quod ſcribis, *Poëtis* pro *Poëtas* reſcribendum eſſe, te ante vidiſſe, quam idem oſtendiſſe N. Heinſium in Notis ad Naſonis Heroid. XIV. v. 64, animadvertiſſes, nemo facile credet. Quid enim? tu Heinſianas in Ovidium Notas non prius evolveras quam curam tuam ad Horatium recenſendum contuliſſes? Praeterea Deſpauterius hunc verſum ſub Regula *Eſſe pares optat caſus* pro exemplo poſuit, ubi addit aliquot codices habere *poëtas*.

V. v. 27. .... *Maecenas*, optimus

Interpungis poſt *Maecenas*; & ita in vetuſtioribus libris diſtingui monuit Torrentius.

VI. v v. 52. 53. .... felicem dicere non hoc *Me poſſunt*,

Hic *poſſunt* a vetere Commentatore te fateris acce-

Digitized by Google

acceptiſſe, *poſſit* tamen legi debere infra oſtendam; *poſſunt* autem tibi non debemus, ita enim habent duodecim editiones, & Treteri notiſſima.

v. 54. Nulla etenim *tibi me* fors obtulit.

Tibi me pro *mihi te* habet vetus Commentator, ut tu animadvertiſti, & ita Cerutus in Paraphraſi & Fratres Cevallerii in verſione Gallica

Car *à toi ne m'a point* nul hazard preſenté.

& ſic adduxit Dacerius ad Serm. L. I. 1. v. 2.

Nulla etenim tibi me Fors obtulit.

VIII. v. 41, Umbrae cum Sagana *reſonárint* triſte & acutum?

Reſonarint non *reſonarent* haud dubie ſcripſit Horatius, verum hoc ante te animadvertiſſe videtur Spinula Epodon XI.

Quid umbra acutumque reſonarit, triſteque,
Alterna cum Saule loquens,
Audire forte ſi cupis &c.

IX. v v. 36. 37. ... & caſu tunc reſpondere *vadatus* Debebat;

Pro *vadato* legis *vadatus* & ita Laurenbergius, is enim in libro vulgatiſſimo, qui inſcribitur ANTIQUARIUS, in voce *vadatus* haec habet. Vadatus, *obſtrictus*, *ſub fidejuſſore ambulans*. Horatius Lib. I. Satyra 9.

.... tunc reſpondere *vadatus*
Debebat.

Et Cauſſinus *de Eloquentia ſacra & humana* Lib. XI. Deſcript. XLI. ubi *Garrulus expreſ-*

Digitized by Google

ſus eſt *ex Horatio & Theophraſto*, ſic ſcribit; *Veneramus ad Veſtae*, *ſub horam nonam*, *ſenſim extabeſcente jam Sole: & hic forte* citatus vadimonio *aut reſpondere debebat*, *aut cauſſa cadere*.

LIB. II.

III. v. 86. …, atque epulum arbitrio Arrî, *ET*

Hic poſt *Arrî* addis *ET*; Xylander copulam *ET* deeſſe monuit.

v. 262. …. Ne nunc, cum me *vocat* ultro,

Vocat pro *vocet* etiam *invitis* membranis legendum affirmas. Atqui Berſmani, quem ſaepe appellas, codex unus habet *vocat*.

IV. v. 19. *Muſto* merſare Falerno:

Et ita citat Caſtellanus *de carnium eſu*, Lib. IV. c. 3.

V. v v. 90, 91. *offendes* garrulus ultro,
Non etiam ſileas.

Offendes non *offendet* legit vetus Commentator *apud auſterum & taciturnum ne nimis loquare*; & ita quoque Juvencius in interpretatione *homini tetrico atque aſpero* diſplicebis, *ſi loquax ſis at non ſilebis tamen*.

VII. v. 86. …. & in ſe ipſo *totus*; teres

Diſtinguis poſt *totus*; & ita Edd. Baſill. 1545. 1555. 1580. & Colon. 1562.

EPIST. LIB. I.

XVII. v. 43. Coram rege *ſua* de paupertate tacentes

Hic verba tua adſcribam, *omnes ubique editiones prae ſe ferunt* ſuo, *ego vero* ſua *reponendum eſſe*

Digitized by Google

eſſe vidi atque ita poſtea in Codice Petrenſi ſine litura offendi. Friſchlinus in interpretatione refert pronomen ad *paupertate*, *Nam qui coram Principibus de paupertate* ſua *tacent:* & ita quoque Piſcator, Lubinus, Junckerus, & Fratres Cevallerii in Gallica verſione

Ceux qui devant le Roy taiſent leur *povreté*

Suo tamen retinendum.

ARS POET.

v. 2 .... *inducere* formas

Et ita citant Biſciola Horis ſubſecivis Tom. II. pag. 209. & Manbrun de Epico Carmine, pag. 189. & Smetius in verbo *inducere*, ſed male.

v v. 95, 96. Et tragicus plerumque dolet ſermone *pedeſtri*

Telephus aut *Peleus*:

Non diſtinguis poſt *pedeſtri* ſed poſt *Peleus*: & ita Edd. Venet. 1516. 1520. & Vaſcoſ. & Britannicus in Notis refert *tragicus* ad *Telephus*.

v. 157. Mobilibuſque decor, *maturis* dandus & annis.

Hic ſcribis te olim animadvertiſſe pro *naturis* legendum eſſe *maturis*, deinde haec addis, *poſtea vero nactus Vigornienſem codicem*, UT VIDI, UT DELECTATUS SUM, *cum inter lineas ibi pro varia lectione adſcriptum reperi*, aliter MATURIS. .... *Quin & olim Enarrator Cruquianus & Acron ita legerunt.* Atqui hujus emendationis laudem tibi praeripuit Cauſſinus Lib: XII. c. 3. *de Eloquentia ſacra*, Ed. Lugdun. 1657.

Digitized by Google

v v. 388, 389. .... nonumque prematur in *annum*
Membranis intus *poſitis*.

Non interpungis poſt *annum*, ſed poſt *poſitis*, & ita diſtinguunt edd. Lubini & Daventr. 1518. & Jaſ. de Noris.

CAPUT VI.

Loci a Bentleio male emendati indicantur.

EMendationes tuas V. CL. quas partim in hoc libello, partim in Notis confutavi, duplici poſui ordine, priore continentur eae quas in contextum recepiſti, poſteriore, quas collocaſti in Notis.

Emendationum Ordo I.

CARM. LIB. I.	LIB. II.
I. v. 6. *Evehere*	I. v. 5. *Tincta* cruoribus,
III. v. 19. *Rectis* oculis	VI. v. 18. *Apricus* Aulon
VI. v. 18. *Strictis* in juvenes	XIII. v. 1. Illum, *ô*,
XXV. v. 7. *Longam.... noctem*;	LIB. III.
	IV. v. 44. *Coruſco*,
XXIX. v. 4. *Horribiliſ*que Medo	v. 46. Et *umbras*
XXXVIII. v. 6. Sedulus *cura*:	V. v. 33. Se *dedidit*
	VI. v. 20. In*que patres*
	X. v. 7. *Sentis* & poſitas.

v. 8.

Digitized by Google

v. 8. *Duro* numine

XIV. v. 6. *Caſtis* operata

v. 11. Male *inominatis*

XXIV. v. 25. O *quis*, *quis*

v. 39. *Gelu* nives

v. 44. *Deſerere* arduae.

XXV. v. 9. *Edonis* ſtupet

v. 13. *Rivos* &

XXVIII. v. 2. Neptuni *facias?*

LIB. IV.

II. v. 49. *Iſque* dum *procedit*,

IV. v. 26. Nutrita *ſanctis*

V. v. 18. Nutrit *farra*

VIII. v. 17. *Non incendia Carthaginis inpiae*,

Hunc verſum deles.

EPOD. LIB.

XI. v. 8. *Ut* poenitet:

XVII. v. 33. *Tua*, donec cinis

v. 35. *Calet* venenis

CARM. SAEC.

v. 26. Stabilis *per aevum*

SERM. LIB. I.

I. v. 120. *Lippum*

II. v. 46. *Demeterent* ferro.

v. 88. Emtorem *ducat*

v. 90. *Tu* corporis

III. v. 7. *Iteraret*,

v. 58. Tardo *ac*

v. 65. Tacitum *inpediat*

IV. v. 14. *Nummo* me

v. 20. *Emolliat*

VI. v. 18. *Vos* facere,

IX. v. 1. Ibam *ut*

LIB. II.

II. v. 14. Cum labor *expulerit*

III. v. 172. *Et perdere* vidi;

IV. v. 13. Magis *alma*

V. v. 79. Venit enim (*indignum*)

VI. v. 29. ... Tibi vis, inſane, & *quam rem* agis?

EPIST. LIB. I.

I. v. 91. *Viden'*, *ut* mutat

v. 105. *Suſpicientis*

Digitized by Google

IV. v. 11. Et *domus*, &

XVIII. v. 58. *Abſtes*;

LIB. II.

I. v. 188. Ad *ingratos*

II. v. 80. *Non tacta*

ARS POET.

v. 60. ... *Silvis folia privos* mutantur in annos;

v. 65. Sterilisve palus *prius*

v. 120. *Homereum*

v. 154. Si *fautoris* eges

v. 441. Male *ter natos*

Emendationum Ordo II.

CARM. LIB. I.

V. v. 8. *Ut* mirabitur

VI. v. 7. *Reducis* .... Ulixei

XII. v. 13. *Quem* prius

v. 35. *Anne Curti.*

v. 43. *Sancta* paupertas, eod. v. *arto*

XXI. v. 13. *Haec* miſeram famem

XXVII. v. 3. *Inverecundum*

XXXV. vv. 14. 15. Populus *fremens* ... *ceſſantis*,

v. 24. Inimica *vertis.*

v. 30. *Oro* Britannos,

v. 39. Defingas *recoctum*

XXXVII. v. 10. *Opprobriorum*,

v. 24. *Penetravit* oras.

LIB. II.

XIII. v. 17. *Reducem* fugam

v. 32. Denſum *avida*

XVI. v. 25. Laetus in praeſens *animi*,

v. 26. *Oderis* curare.

v. 27. *Temperes* riſu.

XVIII. v. 30. *Capacis* Orci

LIB. III.

I. v. 9. *Eſto* ut

IV. v. 10. *Limina ſedulae*,

V. v. 15. *Exempli* trahentis

XIII.

Digitized by Google

XIII. vv. 6. 7. *Liquidos . . . rivos*

XIV. v. 11. *Non* virum

XXV. v. 19. Sequi *Ducem*,

XXVI. v. 7. *Secureſque*

XXVII. v. 71. *Jam* tibi

LIB. IV.

IX. v. 29. *Sepulta* diſtat *inertia*

XIV. v. 24. Medios per *enſes*.

SERM. LIB. II.

III. v. 154. *Praeſens* accedit

v. 318. Major *pernimio*.

IV. v. 48. Nequaquam *eſt* ſatis in re una

vel ſic,

Nequaquam ſatis *eſt* in *rem unam inſumere*

EPIST. LIB. I.

II. v. 12. *Primus* Peliden

III. v. 33. *Veri* inſcitia.

LIB. II.

II. v. 87. *Pactus* erat Romae

ARS POET.

v. 2. Inducere *formas*

CAPUT VII.

Corruptae veterum Librorum lectiones, quas Bentleius *integris inſcite prætulit; item pravae doctorum hominum emendationes ab eodem in contextum intruſae adferuntur.*

CARM. LIB. I.

II. v. 10. Fuerat *columbis*;

v. 31. Nube *candentis*

XII. v. 31. Sic *Di* voluere

XIII. v. 2. *Lactea* Telephi

XIX. v. 2. *Semeles* puer,

XXII. v. 11. Curis vagor *expeditus*.

XXIV. v. 13. *Quod* ſi Threïcio.

v. 15.

Digitized by Google

v. 15. *Non* vanae

XXVIII. v. 23. *At* tu

LIB. II.

XVII. v. 14. Centimanus *Gyges*

XVIII. v. 7. Nec *Laconicas*

LIB. III.

III. v. 69. *Hoc ... conveniet*

IV. v. 69. Centimanus *Gyges*

VIII. v. 19. *Infeſtis .... luctuoſus*

v. 27. *Cape* laetus

XXIV. v. 24. Pretium *eſt mori.*

XXIX. v. 60. *Tyriaeque* merces

v. 63. Aura *ferat*

LIB. IV.

IV. v. 24. Conſiliis juvenis *repreſſae*

v. 36. *Dedecorant* bene nata

VI. v. 21. Ni tuis *flexus*

XI. v. 35. *Minuentur* atrae

XII. v. 16. Vina *mereberis.*

XIV. v. 28. *Minitatur* agris

XV. v. 9. Janum *Quirini*

EPOD. LIB.

I. v. 21. Non *uti ſit*

II. v. 69. Omnem *redegit*

XV. vv. 8, 9. *Turbarit .... agitarit*

XVII. v. 12. Homicidam *Hectorem*,

v. 60. Quid *proderat*

v. 72. Gutturi *nectes*

v, 81. Nil *agentis exitum*

CARM. SAEC.

v. 45. *Docilis* juventae

v. 46. *Senectutis* placidae

SERM. LIB. I.

I. v. 8. Momento *aut* cita

v. 111. Se *Majori*

II. v. 6. Famem *depellere*

v. 81. Sit licet, ô Cerinthe, tuo

v. 129. *Ne* pallida

IV. v. 25. Quemvis ... *elige*

V. v. 97. *Dein* Gnatia

VII.

Digitized by Google

VII. v. 7. Confidens, *tumiduſque*

X. v. 27. Patriſque *Latini*

v. 49. *Cum multa* laude

SERM. LIB. II.

I. v. 10. Scribendi te *capit*

v. 15. *Deſcribit* volnera

v. 85. Dignum *laceraverit*

II. v. 77. Coena *deſurgat*

v. 134. *Erat... cedit*

III. v. 191. Claſſem *deducere*

VIII. v. 95. Serpentibus *atris*

EPIST. LIB. I.

VI. v. 63. *Ulixei*

VII. v. 58. Lare *curto*

X. v. 37. *Violens* victo

XV. v. 17. Poſſum *quidvis*

XVII. v. 51. *Multo* minus

EPIST. LIB. II.

I. v. 105. *Scriptos* nominibus *rectis*

II. v. 36. Addere *mentem*

Sequuntur pravae doctorum hominum emendationes a *Bentleio* in contextum immiſſae, aut in Notis probatae.

CARM. LIB. I.

II. v. 39. *Marſi* peditis

XXXI. v. 15. Me *paſcant* olivae

LIB. III.

XIX. v. 12. *Miſcentor* cyathis

EPOD. LIB.

V. v. 28. *Laurens* aper.

XVI. v. 15. Forte (*quod* expediat)

SERM. LIB. II.

II. v. 106. Tibi... ſemper *eunt* res.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Lectiones, quas Bentleius *aut primum in contextum ſe induxiſſe, aut e vetuſtis editionibus revocaſſe immerito exiſtimat, indicantur.*

IN Horatii Poëmatum Editores V. CL. te & ſaepe & vehementer invehi magna cum admiratione animadverti, quod a te ideo factum eſſe plurimi forte judicabunt, quo Lectores editionem tuam majoribus in coelum laudibus efferrent; ego ſane me rectius facturum eſſe exiſtimabam, ſi Editoribus, qui veras lectiones in contextum recepiſſent, ſuas tribuerem laudes, quam ſi eos, qui vitioſas amplexi eſſent, inſectarer; neque dubitabam quin curioſi lectoris magis intereſſet, ei, editores qui e Flacci contextu menda ſuſtuliſſent, quam qui eum mendis inquinaviſſent, indicari.

Sed ut ad id, quo de agitur, redeam. Lectionum, quae hic comprehenduntur, triplex eſt ordo. Primum occupant Badii Aſcenſii editiones, ex cujus officina ſepties, ni fallor, prodiit Horatius, & ultimam ejus editionem A. 1529. Jo. Roigny, Fr. Regnault, & Vaſcoſanus Pariſiis A. 1543. expreſſerunt. Bonus autem Aſcenſius ob id omnino laudandus eſt, quod multis in locis ab Aldinis editionibus diſceſſit: tu tamen Aſcenſii nuſquam, quod ſciam, habuiſti mentionem. SE-

Digitized by Google

Secundo ordine Baxteri editionem tibi ſexies vel ſepties memoratam collocavi. Tertio denique ordine aliorum editiones poſui.

Ordo I.

CARM. LIB. I.

C. III. v. 19. *Turbidum*

VII. v. 13. Anio, ac

VIII. v v. 6, 7. *Equitat . . . temperet*

XII. v. 15. *Ac* terras

XXI. v. *Comam*

XXIV. v. 8. *Inveniet*

XXVIII. v. 18. *Avidum*

XXXV. v. 36. *Manum*

LIB. II.

II. v. 7. *Aget*

IV. v. 18. *Dilectam*

X. v. 12. *Fulgura*

XI. v. 9. *Honor*

XII. v. 2. *Durum*

LIB. III.

IV. v. 27. *Arbor*

V. v. 10. *Et* nominis

VIII. v. 27. *Cape*

XI. v. 43. *Neque* intra

XVI. v. 13. *Exitio*

v. 26. *Arat* impiger

XXI. v. 19. *Nec* iratos

XXVIII. v. 14. *Paphum*

XXIX. v. 27. *Andromedae*

v. 62. *Tum* me

LIB. IV.

VIII. v. 9. *Nec* tibi

IX. v. 31. *Silebo*

XIV. v. 28. *Minitatur*

EPOD. LIB.

V. v. 33. Bis *terque*

VII. v. 12. *Numquam*

v. 15. *Albus ora pallor*

IX. v. 25. *Africanum*

XI. v. 2. *Percuſſum*

XII. v. 7. *Qui* ſudor

Digitized by Google

XIII. v. 8. *Achaemenio*

v. 10. *Duris*

XV. vv. 8, 9. *Turbarit*

v. 17. *Agitarit*

XVII. v. 11. *Luxere*

L. 18. *Relapſus*

v. 62. *Sed tardiora*

v. 38. *Poſſim*, & v. 79. *Poſſim*

SERM. LIB. I.

II. v. 25. *Malchinus*

v. 38. *Moechos*

v. 84. *Neque* ſi

v. 106. *Sectetur*

III. v. 20. Alia, *&*

v. 117. *Sacra Divûm*

IV. v. 15. *Accipe jam*

v. 25. *Elige*

v. 119. *Poſſum*

V. v. 20. *Nil cum*

v. 60. *Miniteris*

v. 72. *Pene*, *macros*, *arſit*, ... *igni*

v. 93. *Hic* varius

VI. v. 15. *Quo* noſti, populo

v. 29. Hic, *aut*

v. 31. *Ut* cupiat

v. 68. *Aut* mala

v. 131. *Fuiſſet*

VII. v. 34. *Conſueſti*

VIII. v. 38. *Veniat*

IX. v. 11. *Bolane*

v. 68. *Meliore*

v. 69. *Vis tu*

v. 70. *Inquam*

X. v. 38. Quae *neque*

v. 78. Aut *cruciet*

v. 88. Haec *ſunt*

LIB. II.

I. v. 49. Si *quid* ſe judice. Aſc. Edd. 1511. & 1503

v. 65. *Et* qui

v. 79. *Hinc diffingere*

II.

Digitized by Google

II. v. 21. *Neque* oſtrea
v. 65. *Offendat*
v. 99. *Inquit*
v. 118. Mihi *ſeu*
v. 123. *Poſtremum*
III. v. 27. *Miror morbi*
v. 29. *Capitiſve*
v. 108: *Qui* diſcrepat
v. 129. *Tuo* quos
v. 156. *Octuſſibus*
v. 163. *Tentantur*
v. 170. *Et hoc*
v. 190. *Quod* ſentit
v. 191. *Deducere*
v. 216. *Rufam* aut *Puſillam*
v. 238. *Currit*
v. 259. *Optet*
IV. v. 51. *Suppones*
v. 61. *Immorſus*
VI. 28. *Et* facienda
v. 83. *Neque* ille
v. 92. *Vis tu*

VII. v. 106. *Nequeunt, obſonia*
VIII. v. 4. *Dic* ſi

EPIST. LIB. I.

II. v. 4. *Planius*
VI. v. 22. *Mutus, &*
X. v. 24. *Expelles*
XV. v. 13. *Equis* in Comment.
XVI. v. 40. *Medicandum.* Ed. 1529
XVIII. *Neu* fluitem

LIB. II.

I. v. 109. *Puerique*
v. 142. *Sociis operum* pueris
v. 149. *Coepit verti*
v. 173. *Morte* ſuprema
v. 182. *Curat*

ARS POET.

v. 318. Et *vivas*
v. 353. Quid ergo *eſt*
v. 360. *Operi* longo
v. 435. *Laborant*

E *Ordo*

Digitized by Google

Ordo II.

CARM. LIB. I.

III. v. 19. *Turbidum*

LIB. II.

II. v. 2. *Abdito*

IV. v. 18. *Dilectam*

X. v. 12. *Fulgura*

XII. v. 2. *Durum*

XVII. v. 14. *Gyges*

LIB. III.

II. v. 16. *Timidove*

III. v. 10. *Eniſus*

VIII. v. 27. *Cape*

X. v. 6. *Satum*

XIII. v. 1. *Banduſiae*

XXIX. v. 27. *Andromedae*

LIB. IV.

VI. v. 19. *Latentem*

VIII. v. 9. *Nec* tibi

EPOD.

I. v. 5. *Si* ſuperſtite

XVII. v. 50. *Pactumeius*

v. 72. *Nectes*

CARM. SAEC.

v. 49. *Quaeque*

v. 51. *Impetret*

v. 71. *Curat*

v. 72. *Applicat*

SERM. LIB. I.

I. v. 38. *Sapiens*

v. 94. *Ne* facias

III. v. 40. *Hagnae*

V. v. 5. *Teterrima*

x. 71. *Poene macros arſit*

v. 93. *Hic* varius

VI. v. 15. *Quo* noſti

VII. v. 28. *Multoque*

IX v. 11. *Bolane*

X. v. 78. *Cruciet*

LIB. II.

II. v. 2. *Quae*

v. 65. *Offendat*

v. 79. *Adfligit*

III.

Digitized by Google

III. v. 39. *Angit*
v. 108. *Quî*
v. 317. *Tantum*
IV. v. 37. *Averrere*
v. 41. *Curvet*
v. 44. *Foecundae*
v. 86. *Putuit*
VI. v. 92. *Vis tu*
VII. v. 106. *Sumi nequeunt*

EPIST. LIB. I.

I. v. 55. *Prodocet*
II. v. 38. *Oculum*
v. 65. *Quâ*
IV. v. 9. *Qui ſapere*
V. v. 1. *Archiacis*
VI. v. 51. *Fodicet*
VII. v. 22. *Paratus*
XI. v. 7. *Quid* ſit
XV. v. 16. *Jugis* aquae
XVII. v. 107. *Et mihi*
v. 110. *Neu*
v. 111. *Sed . . . quae*
XX. v. 5. *Deſcendere*
v, 13. *Vinctus*

LIB. II.

I. v. 69. Delenda*ve* carmina
II. v. 16. *Laedit*
v. 89. *Huic . . . illi*
v. 161. *Daturas*
v. 182. *Curat*

ARS POET.

v. 65. Sterilis*ve*
v. 270. *Veſtri*
v. 294. *Praeſectum*
v. 353. Quid ergo *eſt*

Ordo III.

Editiones, quae eandem habent lectionem quam habet editio Bentleiana, nominantur.

Digitized by Google

CARM. LIB. I.

Bentl. Edit.	Alior. Editt.
II. v. 39. *Marſi*	Eduard. a Zurk.
III. v. 37. *Ardui*	Aldi 1501.
IV. v. 19. *Lycidan*	Ed. antiqua.
VII. v. 17. *Perpetuo:*	Ald. Vaſcoſ.
XIII. v. 6. *Manet*:	Elzevir. 1628, ambae Rutgerſ. ambae Fabricii.
XIX. v. 3. *Licentia*,	A Zurk. & Baxt.
XX. v, 5. *Clare* Maecenas	Ed. antiqua.
XXV. v. 20. *Euro.*	Argentina 1516.
XXVI. v. 10. *Poſſunt*	Ed. Mureti 1555, & aliorum plurimae.
XXXI. v. 15. *Paſcant*	Duae Colinaei, Veneta 1549, Richardi, Gabr. Buon.
v. 39. *Deſingas*	Ed. antiqua

LIB. II.

I. v. 21. *Videre*	Duae Martignaci
III. v. 2. *Ac* bonis	Edd. Rodel, Maroll, Campos
XI. vv. 23, 24. *Incomtam* nodo	Duae Xylandri & Veneta 1549.
v. 28. *Occupat.*	Duae Mureti, totidem Bruti, & tres Rodelii.

XIII.

Digitized by Google

BENTL. EDIT.	ALIOR. EDITT.
XIII. v. 8. *Colcha*,	*Colchica habent*, inquis, *editiones, opinor, omnes.* Immo edd. 1477 & Cruq. 1611 habent *Colcha*
v. 38. *Laborem*	Secunda Lamb. & duae Berſm.
XIX. v. 23. *Rhoetum*	Utraque Rutgerſ. & Elzevir. 1628

LIB. III.

II. v. 29. *Phaſelon.*	Landini tres & Veneta 1509
V. v. 37. Sumeret *aptius*;	Landini 1486
v. 43. *Ab* ſe	A ſe *habent recentiores*, ais, *editiones. At Veneta princeps* ab ſe. Immo *ab ſe* habent quinque editiones Veneta illa, quam PRINCIPEM appellas, antiquiores. *Ab ſe* quoque habent edd. 1481, 1485, Baſill. 1555, 1580. D. Heinſii 1612. & nonnullae editiones Jo. Bond.
IX. v. 5. *Aliam*	Ed. Princeps & Ferrar. 1474, Berſmani, Fabricii, Raphelengi 1594 & aliorum haud paucae

Digitized by Google

BENTL. EDIT.	ALIOR. EDITT.
X. v. 1. *Tanain*	*Tanaim editiones*, ais, *omnes occupavit.* Immo editiones T. Fabri, Dacerii & Rodelii & aliorum novem habent *Tanaim.*
v. 10. Eat *retro.*	Ed. 1477.
XII. Celer *arto*	Ed. princeps
XVI. v. 22. *Ab* Dîs	Septem veteres edd. & Vaſcoſ.
XIX. v. 27. *Rhode*	Baſil. 1555.
XXI. v. 10. *Negligit*	Jo. Bond apud Janſſon. 1662
v. 12. *Incaluiſſe*	*Caluiſſe habent*, ais, *editt. omnes.* Immo duae Chabotii & Colon. 1630. *incaluiſſe* habent.
XXIV. v. 49. *Materiem*	Vaſcoſ. & Cruq. 1611. & edd. veteres
v. 60. *Hoſpites*,	Ed. 1477
XXVII. v. 48. *Monſtri.*	*Monſtri* revocavit Talbot
XXIX. v. 64. *Ferat*,	Ed. antiqua, duae Xylandri & Irenici

LIB. IV.

I. v. 9. *Domum*	Ed. antiqua

V. 22.

Digitized by Google

BENTL. EDIT.	ALIOR. EDITT.
v. 22. *Lyra Berecynthia*	Edd. Cruquii
v. 23. *Tibia*	
II. v. 13. Regeſve	*Regeſque*, *habent*, inquis, *ubique editi.* Immo Regeſve habet Vaſcoſ.
IV. v. 31. *Neque*	Edd. 1476, 1477, 1478, 1481, 1485, 1490. & Parisienſ. 1498
v. 73. *Perficiunt*	Edd. Cruquii
V. v. 31. *Venit*	Ed. vetuſta
VII. v. 15. *Pater* Aeneas,	Ed. Princeps
X. v. 5. *Ligurine*,	Edd. Minellii
XI. v. 28. *Bellerophonten*,	T. Fabri
XV. v. 24. *Tanain*	Mureti, Parthenii, Berſm.

EPOD. LIB.

I. v. 26. *Mea*;	D. Heinſii 1612
v. 28. *Paſcuis*:	Ed. Princeps & 1474. & Veneta 1509
v. 29. *Neque*	Ed. Princeps & 1474, 76, 77, & 78. & aliae nonnullae veteres
II. v. 18. *Agris* extulit,	Vaſcoſ. Berſman.
V. v. 11. *Tremente*	Ed. Norton Londini 1574

Digitized by Google

Bentl. Edit.	Alior. Editt.
v. 81. *Mei*	Ed. Seb. Gryphii 1542. & duae Xylandri
IX. v. 16. *Conopium*	Edd. Vaſcoſ. & Rutgerſ. Ultraject. 1699
XII. v. 2. *Quid* mihi,	Ed. vetus
XVII. v. 30. O mare, ô terra,	Edd. Baſill. 1555 & 1580.
v. 33. *Furens*	Edd. H. Steph. Dacer. Rodel.

CARM. SAEC.

v. 57. *Honos*,	Secunda Lambini; & Heinſii 1612

SERM. LIB. I.

v. 83. Ac *gnatis reddat*	Vaſcoſ. Cruq.
v. 88. An, *ſi*	Dacerii
v. 105. *Tanain*	Dionyſii a Prato
II. v. 63. Peccesſ*ne*	Lambini, Beidmae, Chabotii
v. 90. *Lyncei*	Cruquii
v. 91. *Contemplare*	Tres Landini
v. 111. *Statuat*	Duae Cruquii
v. 129. Ne pallida	Ed. Princeps
IV. v. 26. *Ab* avaritia;	Tres Chabotii
v. 70. *Caprii*	Edd. 1476, 1478

V.

Digitized by Google

BENTL. EDIT.	ALIOR. EDITT.
V, v. 7. *Teterrima*,	Aldi 1501, Juntae 1514, Venetae Ruffinelli & Paganini
v. 15. Abſentem *ut* cantat	Ed. Princeps & 1474
v. 70. *Producimus*	Vaſcoſ.
VI. v. 113. *Fugit*	Vaſcoſ.
v. 47. Nunc, quia *ſum tibi, Maecenas*,	Ed. Princeps, Vaſcoſ. & Ambr. a Porta
v. 87. *Ad haec*	Ed. Cruquii in contextu *ob hoc*: verum is in Notis e duobus Mſtis profert *ad haec*, & addit ſe hanc lectionem ſecutum eſſe.
v. 107. *Tilli*,	Ed. 1474
IX. v. 16. *Proſequar*	Vaſcoſ. Ambr. a Porta
v. 76. *Inclamat*	Ed. Princeps, & 1474; ambae Rutgerſ. & Elzevir. 1628
v. 86. *Bibule*,	Duae Mureti, totidem Bruti, & tres Rodelii

LIB. II.

II. v. 65. *Qua* non *offendat*	Duae Fabricii & Baſil. 1555
v. 99. *Tranſius*	Ed. 1476
III. v. 1. *Si* raro	Duae Cruquii

Digitized by Google

BENTL. EDIT.	ALIOR. EDITT.
v. 60. *Fuſius*	Duae Cruquii, totidem Berſmani
v. 62. *Volgus*	Ed. 1474
v. 97. Sapiens*ne*? Etiam & rex;	Edd. Lambini, Fabricii, Berſmani
v. 133. *Occidis*	Ed. vetuſta & 1474, 1477
v. 262. *Ne*, nunc,	Fabricii, Fr. Gryphii, Ruffinelli, Juntae 1514
v. 501. *Quam* me *ſtultitiam*	Edd, Berſmani & ſecundâ Lambini
v. 397. *Manibus* cum	Ed. Princeps
v. 317. *Tantum, ſufflans ſe*,	Edd. Cruquii
v, 378. *Tantum*	Edd. Cruquii
IV. v. 2. *Vincant*	Vaſcoſ. Marolli, Dacerii, Minellii
v. 61. *Mavolt*,	Ed. 1476
v. 90. *Memori referant mihi*	Ed. Vaſcoſ.
V. v. 3. *Doloſe*,	Edd. Brittannici 1516, 1520
VI. v. *Nil* amplius	Vaſcoſ. Gabr. Buon.
v. 10. Fors *quae*	Edd. Venetae 1509, 1514 & Dacerii
v. 78. *Si quis nam* laudat	Ed. Princeps & Aldi 1501, & Juntae 1514
VII. v. 15. Juſta *cheragra*	Duae edd. Xylandri

v. 36.

Digitized by Google

BENTL. EDIT.	ALIOR. EDITT.
v. 36. *Mulvius*	Veneta 1509
	EPIST. LIB. I.
I. v. 28. *Oculos*	Edd. Dion. a Prato & Minois
v. 31. *Cheragra.*	Duae Xylandri
v. 32. Eſt *quadam* prodire tenus,	Edd. Colonienſes 1516, 1596., Dion. a Prato & duae Minois
v. 57. *Eſt* lingua	Edd. Chabotii
v. 62. Puerorum *eſt*	Edd. Lamb. Berſm. Hugon, a Porta & Minois 1574
v. 67. *Pupi*	Veneta 1492
v. 94. *Curatus*	Edd. Fabricii
V. v. 17. Trudit *inertem*;	Talbot primus *inertem* in contextum recepit
v. 26. *Septiciumque*,	Aldi 1501, Loëi Antwerp. 1559
VII. v. 41. *Ithace*	Duae Fabricii
v. 56. *Natum*,	Duae Fabricii
v. 63. *Neget*	Aldi 1501 & Daventr. 1518
v. 96. *Semel*	Duae Mureti, duae Bruti, tres Rodelii & Bertelli Venet 1590

X.

Digitized by Google

Bentl. Edit.	Alior. Editt.
X. v. 3. *At* cetera	Cruquii, Piſcatoris, Gymnici
v. 40. *Vehit*	*Vehet editiones*, ais, *ubique prae ſe ferunt*. Immo edd. Baſill. 1527, 1545, 1555. & Fr. Gryphii 1537, Eraſmiana 1541, Richardi 1550. & Junkeri habent *Vehit*
XIII. v. 2. *Vini*;	Veneta 1492
v. 14. *Glomus*	Ed. Veneta 1509
XV. *Murteta*	Ed. vet. & Cruq.
v. 32. *Donaret*	Ed. Cadom. 1480
XVI. v. 5. *Ni* diſſociantur	Cadom. 1480 & Talbot
v. 43. *Res ſponſore*,	Edd. Cruquii
v. 45. *Introrſus*	Edd. Venet. 1477, 1516. 1520
v. 49. *Negitatque*	Edd. Cruquii
XVII. v. 30. *Angui*	*Excuſi* omnes, ais, *angue* hic repraeſentant. Immo edd. prima & ſecunda Aldi, & R. Stephani 1541, Vaſcoſani 1553 & duae Fabricii & aliorum quatuordecim edd. habent *angui*

LIB.

Digitized by Google

LIB. II.

BENTL. EDIT.	ALIOR. EDITT.
I. v. 42, *Reſpuat*	Vaſcoſ. Cruq.
v. 180. *Ac* reficit.	Lubini
v. 239. *Apellen*	Edd. 1474, 1476, 1478
II. v. 89. *Huic* ut Mutius *ille*.	*Recte vero*, inquis, *Lambinus, qui ringentibus fruſtra Librariis ſic in editione ſua repoſuit*. Immo non Lambino ſed Britannico hoc laudi dandum eſt. Mox addis, *quem* (Lambinum) *tamen vel duo vel nemo ſecutus eſt*. Immo ita extat in quadraginta editionibus Lambiniana recentioribus.

ARS POET.

v. 23. *Quidvis;*	Vaſcoſ. Correæ
v. 26. *Lenia*	Ed. vetuſta
v. 36. *Naſo* vivere *pravo*,	Ed. Princeps & ſecunda Lambini
v. 59. *Procudere*	Aldi 1509 & T. Fabri
v. 101. *Adſtent*	T. Fabri
v. 116. *Et* matrona	Ed. antiqua
v. 139. *Parturiunt*	Buonii & Norton Londini 1574. & tres Jo. Bond

v. 185.

Digitized by Google

Bentl. Edit.	Alior. Editt.
v. 185. *Ne* pueros	Veneta 1514
v. 214. *Luxuriem*	Pignae, Manzonii, Junckeri
v. 260. *Miſſus*	Piſcator in contextum primus induxit *miſſus*
v. 328. *Superet.*	Junckeri
v. 387. *Maecî*	Pithopaei
v. 461. Si *curet quis* opem	Vaſcoſ.
v. 462. *Projecerit*,	Aldi 1501. Aſcenſii 1505 & Daventr.

Illud hic V. C. ſubjici tua intereſſe omnino exiſtimo. Ante hos fere ſex annos Vir quidam ingenioſus, ac probus quique tuas in Horatium Notas valde probabat, ex me, quid de tuis conjecturis ſentirem, quaeſivit: tum ego omnibus ferme iis quae capite quinto, ſexto, ſeptimo & hoc octavo comprehenſa ſunt, cum eo communicatis, quid de Notis tuis judicarem ex iis partim intelligi poſſe reſpondi. Quibus omnibus ille attentiſſime perlectis coepit ſtomachari, arrogantiam tuam & incredibilem temeritatem admirari, foediſſimam furti quoque notam tibi inurendam eſſe exclamare. Verum brevi interjecto intervallo, cum ira ejus deferbuiſſet, adjecit diffiteri ſe non poſſe quin ſibi valde probata eſſent Stricτis *unguibus*. Reducem *fugam*. Avida *bibit aure vulgus*. *Quocumque* Foetum numine *Maſſi-*

Digitized by Google

Maſſicum. HALITUS *teter.* FLOREUM *circa nemus.* STERNIT vel VERTIT *trementes ilices.* *Criſpini ſcrinia* LIPPUM. Tum ego, ut tot ac tantos errores ei eriperem, continuo rationes, quae huic libello infra inſertae ſunt, adduxi; quas cum ille ſedato animo perpendiſſet, non modo ea omnia tua improbanda ſibi videri faſſus eſt, verum etiam has ineptiſſimas tuas in Horatium conjecturas & animadverſiones a me depulſas, & eximii Poëtae judicium & acumen in omnibus iis locis a me velut ob oculos poſita eſſe ſine ulla haeſitatione pronuntiavit.

CAPUT IX.

De figura quam vulgo vocant ὀξύμωρον; *mira Bentlei inſcitia.*

HUjus figurae virtus eſt, res quae primo aſpectu contrariae eſſe videntur conjungere, adeoque Lectoris attentionem & admirationem excitare: atque hoc dicendi ſchemate Horatium vehementer delectatum eſſe ſequentia declarant exempla.

CARM. LIB. I.

VI. vv. 17, 18. ... nos proelia virginum
Sectis in juvenes unguibus acrium

VIII. vv. 2, 3. *Amando ... perdere*

XIX. v. 7. *Grata protervitas*

XXVII. v v. 11, 12. Quo *beatus* .... *volnere*, qua pereat ſagitta

XXXIII. v. 12. *Saevo ... joco*

v. 14. *Grata ... compede*

XXXIV. v. 2. *Inſanientis ... ſapientiae*

LIB. II.

XII. v. 26. *Facili ſaevitia*

XIII. v v. 17, 18. Miles *ſagittas* & *celerem fugam* Parthi

XIX. v v. *Turbidum ... Laetatur*

LIB. III.

IV. v v. 5, 6. *Amabilis ... Inſania*

VII. v v. 21, 22. *Surdior ... audit*

XI. vv. 21, 22. *Voltu ..., Riſit invito*

v. 35. *Splendide mendax.*

XVI. v. 25. *Contemtae dominus ſplendidior rei*

v. 28. ... *inter opes inops*

XXI. v. 13. ... *lene tormentum*

XXIV. v. 59. ... *perjura* patris *fides*

XXV. v. 18. ... *dulce periculum*

LIB. IV.

I. vv. 4, 5. ... *dulcium mater ſaeva cupidinum*

vv. 6, 7. ... *Mollibus* ... jam *durum imperiis*

Digitized by Google

EPOD. LIB.

XVII. v. 66. *Egens benignae ... dapis*

CARM. SAEC.

vv. 14, 15. ... *aliuſque & idem*
naſceris

SERM. LIB. I.

vv. 70, 71. ... *congeſtis undique ſaccis*
Indormis inhians

LIB. II.

III. v. 142. *Pauper Opimius argenti poſiti intus & auri*

EPIST. LIB. I.

XI. v. 18. *Strenua ... inertia*

XII. v. 19. *Concordia diſcors.*

LIB. II.

I. v. 156. Graecia capta *ferum victorem* cepit

v. 211. ... *inaniter angit*

II. v. 140 *Et demtus per vim mentis gratiſſimus error*

ARS POET.

v. 374. ... *ſymphonia diſcors*

His praemiſſis venio ad Notam tuam in Carmen Lib. II. XIII. vv. 17. 18.

Miles ſagittas & *celerem* fugam
Parthi

 Ubi

Ubi ſic ſcribis, *Iraſcor membranis veteribus, quod conſtanter adeo lectionem hanc repraeſentent* celerem *fugam: certe ceſſavit hic bonus Horatius, ſi eo modo ſcripſit.* O miſeram ingenii inopiam! quid enim in hoc genere figurae excogitari poteſt acutius, & elegantius eo, quod Poëta noſter & hoc loco de Partho dicit? & quod de eodem dixit Carm. Lib. I. XIX. v v. 11. & 12.

Et verſis animoſum equis
Parthum dicere.

Prius autem quam ad tuam emendationem accedam, locos Poëtarum, quibus ei viam praemuniri voluiſti, adſcribam.

Propertius III, 7.

Parthorum aſtutae tela remiſſa fugae

IV, 3.

Subdolus *& verſis increpat arcus equis.*

Valerius Flaccus VI, 698.

Nunc fuga converſas ſpargit mentita *ſagittas.*

Statius Silv. V, 2.

Quae ſuſpecta *fides, & quae* fuga vera *ferocis Armenii?*

Seneca Thyeſte 383.

Telis quae procul ingerit
Parthus, cum ſimulat fugam

& Oedip. 118.

Vidit & verſas equitis ſagittas,
Terga fallacis *metuenda Parthi.*

& ſic alii bene multi. Quod ſi Horatius ad haec exempla dixiſſet, Perhorreſcit miles ſagittas & aſtu-

Digitized by Google

aſtutam, ſubdolam, mentitam, ſuſpectam, ſimulatam, fallacem *fugam Parthi*, *omne utique punctum tuliſſet*. *Nunc cum* celerem *fugam Parthi nominet*, *quae aut* veram *prorſus indicat*, *aut certe* falſam *non indicat*, *ne excuſari quidem poteſt*. Immo ſi *aſtutam* vel ſimile quiddam dixiſſet, totam ſententiae gratiam & acumen corrupiſſet. Et quoniam admodum parce Rhetorices Magiſtri de hac figura ſcripſerunt, quae ad eam pertineant, paucis expediam. Ac primo illud in ejus uſu cuſtodiendum eſt; ut ea non videatur arceſſita, verum ab ipſis rebus objecta atque oblata: Deinde ut & perſonae eam adhibenti & loco conveniat, quorum utrumque neglexiſſe videtur Virgilius Aen. VII. vv. 295.-6.

Num capti potuere capi? num incenſa cremavit
Troja viros?

Haec enim cum Junonis dignitate nullo modo congruunt; multoque minus cum Junone acri dolore incenſa. Quid enim ineptius eſt, quam Jovis & ſororem & conjugem & dolentem hujuſmodi argutias captantem facere? Haec autem Virgilium, ſi ultimam operi manum admoviſſet, emendaturum fuiſſe non dubitaverim. Divinus autem Poëta captus, ni fallor, argutiſſima elegantia & ſuavitate verſus illius Enniani,

Nec cum capta capi nec cum combuſta cremari

neque animadvertens, quid de quo & quando dici debeat, eum uno aut altero verbo mutato poëmati ſuo imprudenter inſeruit. Tertio

 deni-

Digitized by Google

denique illud cavendum, ne quidquam adjiciatur, quod res, quae ſecum pugnare videntur, in pacem redigat, & idcirco in illis exemplis quae ex Propertio, V. Flacco & Seneca Tragoedo produxiſti, haec figura locum non habet, quoniam in iis omnibus verbum aliquod verbis *fugae*, *ſagittas* additum eſt, quod rerum diſcordiam dirimit, & omnino Lectori modum, quo res inter ſe contrariae in concordiam adducantur, inveniendi voluptas, quod nuſquam non obſervavit Horatius, relinquenda eſt.

Nunc ut ad Horatii verſus 17, 18. L. II. C. XIII. redeam,

> *Miles ſagittas &* celerem *fugam*
> *Parthi*

Ubi is non contentus dixiſſe *miles ſagittas & fugam Parthi* timet, quo oratio ſecum acrius pugnaret, ingenioſiſſime adjecit *celerem*, quo enim Parthi fuga erat celerior, eo erat inſidioſior. Et verbis *celerem fugam*, ut alios taceam, *Mottaeus* & *Th. Creech*, Poëtae celeberrimi Oxymoron contineri recte judicarunt.

Mottaeus Tom. I. Odar. ed. Amſt. p. 159.

> *Du Parthe le ſoldat craint la* fuite homicide.

Th. Creech.

> *The Roman dreads the darts, the force,*
> *And* conquering flights *of Par thian Horſe.*

Huc quoque pertinet quod cecinit egregius Poëta *Mat. Prior*,

> *Deeper to wound, she shuns the Fight;*

She

Digitized by Google

She drops her Arms, to gain the Field:
Secures her conqueſt by her Flight;
And triumphs, when ſhe ſeems to yield:

So when the Parthian turn'd his ſteed,
And from the hoſtile Camp withdrew;
With cruel skill the backward Reed
He ſent; and as he fled, he ſlew.

Deinde ſic ſcribis,

Ego vero Librarios potius quam ipſum inſimulaverim; & proſit mihi, ſi extundere quidquam valeo, quod immunem eum culpae praeſtare videatur. Enimvero non celerem fugam Parthi, ſed celeres ex fuga recurſus miles metuebat, ut Noſter alibi Carm. I. XIX. *vv.* II. I2.

Et verſis animoſum equis
Parthum

Verſis equis duas ſignificat res, *ab hoſte averſis*, *in hoſtem converſis*.

Hic autem *ab hoſte averſis* omnino denotat, non *in hoſtem converſis*, quae tua eſt interpretatio, & ut leniſſime loquar, inſulſiſſima. Extat apud Virgilium G. III. v. 31. perfectiſſima Parthi militis pictura,

Fidentemque fuga Parthum verſiſque ſagittis

Non dixit *verſis*; *equis* quod ſi dixiſſet Parthum inſcite depinxiſſet, neque ſummo Poëtae difficile erat id dicere hoc modo aut alio longe meliore,

Tumque fuga Parthum verſis & equis animoſum

Illud hic in tranſitu adnotandum, ad Oxymoron hoc Virgilianum non referri; quamquam

Digitized by Google

enim illis verbis *fidentem fuga* inter ſe pugnantia colligavit, tamen ſequentia *verſiſque ſagittis* illa concordare oſtendunt.

Alii etiam Poëtae eodem, quo Virgilius, modo Parthi fugam repraeſentarunt, *verſis* nempe *ſagittis*, vel quod idem valet, *miſſis poſt terga ſagittis*.

Lucanus I. v. 230.

Ocior & miſſa Parthi poſt terga ſagitta

Seneca Oedip. 118. 19.

Vidit & verſas equitis ſagittas
Terga fallacis metuenda Parthi

Ubi reponendum puto *verſis ſagittis*, ut ordo ſit *vidit terga fallacis equitis Parthi metuenda verſis ſagittis*.

Ovidius Faſt. V. v. 591.

Quid tibi nunc ſolitae mitti poſt terga ſagittae

Propertius El. III. 3. v. 17.

Tela fugacis equi, & braccati militis arcus

Silius X. vv. 11. 12.

. . . . pennaque citatior ibat
Quae redit in pugnas fugientis harundine Parthi

Boëthius L. V. Cap. I.

. . . . . . ubi verſa ſequentum
Pectoribus figit ſpicula pugna fugax

Statius Silv. I. III. 78. 79.

. . . . . . arcuque horrenda fugaci
Armenia

Idem Theb. IX. v 775.

Nunc fugit inſtantes, & ſolo reſpicit arcu

Ubi vetus Scoliaſta, Barthio teſte, *Averſus facie,*

Digitized by Google

cie, *obverſus arcu hoſti*. Rectiſſime. In quibus locis Statius hanc figuram argutiſſime uſurpavit. Idemque dicendum de illo Lucani L. VIII. vv. 370. 71.

. . . . . *nulli ſuperabilis hoſti eſt*
Libertate fugae

Deinde ais. *Parthos propter celeres ex fuga recurſus refugos appellatos*. Lucan. VI. 50.

Moenia mirentur refugi *Babylonia Parthi*

Claud. IV. Conſ. Honorii 530.

. . . . . refugo *quae ſit fiducia Partho*

& I. Conſ. Stilichonis. 68.

Torquebas refugum , *Parthis mirantibus*, *arcum*

Quid? putas ideo Parthos *refugos* appellatos, quod ex fuga celeriter recurrerent? Atqui ex Theſauris R. Stephani & Fabri vim ac poteſtatem verbi *refugus* potueras diſcere. Aliud enim *refugus* non ſignificat quam eum qui retro fugit; idque ex locis Poëtarum modo adductis apertiſſimum eſt, & praeterea cum caput hujus artis in eo poſitum eſſet ſagittas poſt terga ſcite emittere, Claudianus I. Conſ. Stilichon. v. 68. his verbis *Torquebas refugum* . . . . *arcum*, dicere voluit Stilichonem inter fugiendum, Parthis mirantibus, ſagittas poſt tergum emiſiſſe, & idem ingenioſe ſane arcui ſenſum tribuit, quemadmodum Statius Silv. I. III. vv. 78. 79. *arcuque* horrenda fugaci . . . . Armenia.

Deinde ais, *Quid ergo? placetne ut reſcribamus*,

Miles ſagittas & refugam *fugam Parthi?*

Minime vero; neque enim tam inficetam verborum juncturam apud Noſtrum inveneris.

Atqui ſi vox *refugam* id, quod tu putas, ſignificaret, *fugam* continenter iteratum artem redoleret exquiſitiorem; talem enim juncturam commendat quaedam obſervatio, & ea quidem certiſſima; qua obſervatione duce C. I. VI. v. 10. pro *impulſa cupreſſus* vidi legendum *impreſſa*: atque hanc emendationem multo ante cum viro politiſſimi ingenii D. Thorold communicaveram, quam aut in Galeano Codice quo tu uſus es, aut in Leidenſi eam extare deprehendiſſem; atque ille quidem ita legi debere ſine ulla dubitatione judicavit, quamquam eum admonuiſſem hanc lectionem in nullo vetere libro, quod ſcirem, inveniri. Caeterum etſi tu aurium tuarum eruditione depraedicanda lectorem obtuderis, te tamen agreſtibus potius quam urbanis praeditum eſſe, plurimis exemplis, & in hoc Animadverſorum Libro, & in Notis ad Horatium oſtendi.

Verum quia REFUGAM *fugam* tibi diſplicuit, ad aliam emendationem confugiſti, quae eſt haec, REDUCEM *fugam*, & ad hanc correctionem pertinent illa tua verba à me ſupra allata. *Ego vero Librarios potius quam Horatium* inſimulaverim; *& proſit mihi, ſi extundere quidquam valeo, quod immunem eum culpae praeſtare videatur*. Et quid, obſecro, V. CL. extundis, quod ingenium non indicet obtuſum? Tantum enim ab omni culpae ſuſpicione Flaccus hic abeſt, ut nihil eo quod de Par-

Digitized by Google

tho dicit, argutius & urbanius dici potuerit, & contra nihil vilius, nihil ineptius eo excogitari poteſt; quod tu contextum emendando eum facis dicentem.

Nunc ad alium Horatii locum tranſeo, cujus receptam lectionem figura Oxymoros unice tuetur, Carm. Lib. I, VI, vv. 17. 18,

> . . . . . *nos proelia virginum*
> *Sectis in juvenes unguibus acrium*

Hic mones. *N. Heinſius in ora libri ſui adſcripſit.* SECTOS *Gronovius legit. Et viro*, ais, *quidem longe acutiſſimo non potuit non diſplicere lectio vulgata.*

Quorſum enim SECTIS *unguibus? Jam tibi dicent Interpretes, feſtive oppido hoc dictum eſſe: ut notet virginum repugnantium proelia non vera eſſe, ſed ſimulata: ideo enim ſibi ungues ſecare, ne ora ſecent amatoribus. Itane vero? an & ideo addidit*, ACRIUM, *ut tam feſtivum hoc deprenderemus? Sane ſi uſque adeo ſunt* acres, *jam periculum erit, ne ſerio & infeſtis unguibus in oculos involent.* Quob ab iis fieri locis e Propertio, Ovidio, & Claudiano prolatis oſtendis. Deinde ais, *Jam vides, non* ſectis *jocoſe, ſed vere iratis unguibus amatorum ora lacerabant. Neque tamen pari hic felicitate verſatus eſt Gronovius, ac alias plerumque ſolet* Sectos juvenes, *&* Acres unguibus in juvenes, *non ſapiunt ad elegantiam Flacci. Quid? quod* ſecandos, *potius quam* ſectos *oportuit, ſi ita loqui voluiſſet. Sed quid multa? Certiſſima emendatio eſt, quam ut ipſe*

ipſe Gronovius, ſi in vivis eſſet, continuo amplecteretur.

STRICTIS *in juvenes unguibus acrium*

Quod cum ſic olim compendioſe ſcriberetur, Stĉtis, *litera* i *ſupra* t *poſita; ut norunt qui ſcriptos codices verſavere; proclive erat, ut ſtupore Librariorum degeneraret in* Sectis. *Caeterum ordo eſt,* Strictis in juvenes, *non* Acrium in juvenes.

In hac Nota tria animadvertenda ſunt peccata; primum, quod verbum *ſectis* Librariis vitio dandum eſſe adfirmas; cum id, ſi legendum eſſet *ſtrictis*, Interpolatori vim verbi *ſtrictis* non intelligenti vitio vertendum eſſet. Sic S. Lib. I. IV. v. 26. *ab* mutatum in *ob.*

Aut ab *avaritia, aut miſera ambitione laborat.*

ubi omnes libri, dempto uno, habent *ob avaritiam*; quamquam enim inter *ob* & *ab* ſcripturam maxima ſit adfinitas, tamen illud *ob* eſt Correctoris, *laborare ab avaritia* Latinum non eſſe exiſtimantis: huc pertinet illud Quinctiliani L. IX. I. Orat. c. 4. PO' *meridiem &* DIE' HANC aeque *M. litera in E mollita, quae in veteribus libris reperta mutare imperiti ſolent: & dum Librariorum inſectari volunt inſcientiam, ſuam confitentur.* Huic non abſimile eſt quod A. Gellius Noct. Att. L. XVIII. c. 5. ſcribit, Eques *a Grammaticis in* Equus *mutatum, quod ignorabant pleramque veterum aetatem & hominem equo inſidentem, & equum; qui inſideretur,* EQUITEM *dixiſſe:* & ſane vitia Librariorum a Correctorum vitiis diligenter

ſepa-

ſeparanda ſunt; cujus rei ignoratio doctiſſimis viris haud raro cauſam errandi praebuit.

Sequitur ſecundum peccatum primo longe foedius. Horatius hoc carmine ſexto poſtquam ſe rebus Heroicis & Tragicis (quas utraſque res pulcherrima circuitione expreſſit) canendis imparem eſſe dixiſſet, profitetur ſe, quae imbelli lyrae conveniunt conari; & hoc quidem verecunde addidit, ingenii ſui vires extenuans: nam animoſa lyra & prope Pindarica carmen tertium Libri tertii & quartum quarti, ut alia omittam, cecinit. Poſtremo imbellis ſuae lyrae materiam proponit PROELIA; in quo Poëtae noſtri acumen elucet, quod praeter expectationem id profitetur, quod non imbellis lyrae, ſed Heroici poëmatis eſt onus. Verum ſtatim ſubjicit, *Virginum* . . . . . id eſt proelia non cruenta, non ex odio, ſed ex amore oborta: cum autem ingenium puellarum ſit tale, ut, cum acerrime contra juvenes pugnare videri volunt, eos tamen vel leviſſime laedere nequaquam velint, ad hocce proeliandi genus deſcribendum hanc figuram, quae res ſpecie quadam contrarias conjungit, non inepte adhiberi poſſe judicavit . . . *proelia virginum*

Sectis in juvenes unguibus acrium

Illud hic te V. Cl. offendit, quod, cum *ſectis* praeceſſiſſet, *acrium* addidit: Atqui tota ſententiae venuſtas ac ſubtilitas in horum conjunctione poſita eſt. Nunc liceat mihi ex te quaerere, cur alibi cum *inſipientis* conjunxit *ſapientiae?* cum *ſtrenua* conjunxit *inertia?* cum *ama-*

Digitized by Google

amabilis conjunxit *inſania?* Jam alium Poëtae locum, in quo ſimiliter ingenium virginum egregie depinxit, adferamus C. I. IX. vv. 23. 24.

Pignuſque dereptum lacertis,
Aut digito male pertinaci

ubi duae res prima facie inter ſe pugnant. Quod enim digito male annulum retinenti detrahitur non per vim deripitur, verum ſponte dimittitur. Quoniam autem, cum puella luctando annulum, quem ſibi detrahi valde cupit, retinere velle ſimulat, Poëta ingenioſe dixit *dereptum* non *detractum*. Et ut verbo dicam, aeque abſurdum eſt carmine ſexto *ſectis* mutare in *ſtrictis*, atque hic foret pro *dereptum* reponere *detractum*. Ex quibus omnibus, id eſt ex magno exemplorum numero, unde conſtat Horatium hac figura vehementer delectari, deinde ex ingenii puellaris veriſſima delineatione, ex eo denique, quod ut hic C. IX. peſſime mutaretur *dereptum* in *detractum*, ita illic C. ſexto non minus male *ſectis* mutaretur in *ſtrictis*; ex iis inquam omnibus evidentiſſimum eſt emendationem tuam *ſtrictis* eſſe ridiculam, quamquam de ea ſic ſcribis: *Certiſſima eſt emendatio, quam & ipſe Gronovius, ſi in vivis eſſet, continuo amplecteretur.* Immo ſi in vivis eſſet, & haec, quae ſcripſi, legiſſet, & tuam & ſuam ſine ulla dubitatione improbaret.

Nunc ad tertium peccatum venio, id eſt ad exempla, quibus probare vis *ſtrictis* eſſe legendum, quae exempla ad id comprobandum nihil

Digitized by Google

nihil valent. Primum eſt e Propertio III. 8. *Cum furibunda mero menſam percellis* &c. quid commune habet illa vox *furibunda* cum ingenii puellaris pictura? Secundum exemplum eſt ex Ovid. Oenone Paridi.

Id quoque luctando; rupi tamen ungue capillos;
Oraque ſunt digitis aſpera facta meis.

Etſi Oenone & aliae nonnullae virgines id, quod Ovidius ibi de ea dicit, faciunt, non idcirco tamen dicendum eſt Horatium ingenium puellare male depinxiſſe; nam idem in Arte Poëtica ſenum mores egregie deſcripſit, quamquam multi ſenes iis incommodis, quibus ibi eos circumveniri Poëta ſcribit, non circumveniantur.

CAPUT X.

Septem loci ex Horatio emendati.

CARM. LIB. I.

XII. v. 31. *Et minax (ſic Di voluere) ponto*

Ubi tu, quamquam *Dii* ex Interpretatione Acronis, & codicis Reginenſis gloſſa, in contextum irrepſiſſe animadvertiſti, *Di* tamen in eum intuliſti. Deinde *latet*, inquis, *hic fortaſſe ulcus:* & hoc quidem ex varia hujus loci lectione facile colligitur, nam praeter hanc (*ſic Dii*) quatuor diverſae lectiones in antiquis libris reperiuntur.

Digitized by Google

Et minax (nam *ſic voluere*) . . .
Et minax (quod *ſic voluere*)
Et minax (cum *ſic voluere*) . . .
Et minax (quia *ſic voluere*)

Itaque non dubito quin legendum ſit *ſic I voluere*, ut *Dii* irrepſerit ex interpretatione pronominis I. Quemadmodum *Dii* apud Ovidium Met. XIII. v. 597.

Occidit a forti (*ſic vos voluiſtis*) *Achille.*

ex enarratione in nonnullos codices irrepſit, & quod ad ceteras lectiones attinet, Interpolatores, quod non intelligebant, quid *I* vellet, pro vario ipſorum captu *quod*, *cum*, *nam*, *quia*, in locum vocis *I* ſubſtituerunt. *I* autem rectius eſt quam *ii*, quemadmodum *Di* quam *Dii*, & *idem iſdem* quam *iidem iiſdem*. Illud quoque eos ad interpolandum videtur impuliſſe, quod particulam, quam Grammatici cauſalem vocant, hic deeſſe exiſtimabant. Sed parum bene: illa enim particula ſaepe eleganter omittitur, & in hac formula fere ſemper, ut ex plurimis Poëtarum locis apparet, quos idcirco congeſſi, partim, quod hanc emendationem nonnihil adjuvant, partim, quod haec Formula magni Briſſonii diligentiam effugit.

Horat. C. L. I. XXXIII. v. 10. *Sic viſum Veneri.* L. II. XVII. vv. 15. 16.

. . . . *Sic potenti*
Juſtitiae placitumque Parcis.

Epod. IX. v. 3. *Sic Jovi gratum.*
S. II. VI. 22. (*Sic Dis placitum*) Plaut. in Amphitr. Act. II. Sc. II. *Ita Dis eſt placitum.*

Vir-

Virgil. Georg. IV. v. 394. *Quippe ita Neptuno viſum eſt.* Aeneid. I. v. 22. *Sic volvere Parcas.* vv. 281. 82. 83.

Conſilia in melius referet, mecumque fovebit
Romanos rerum dominos, gentemque togatam.
Sic placitum.

Ubi Servius, *vel* Fatis *vel* mihi *nam imperſonale eſt.*

Aneid. II. v. 428. *Dîs aliter viſum.* III. vv. 1. 2.

Poſtquam res Aſiae Priamique evertere gentem
Immeritam viſum ſuperis

Ubi Servius; *Quotieſcunque autem ratio, vel judicium non apparet,* sic visum, *interponitur.* Aeneid. IV. v. 614. *Et ſic fata Jovis poſcunt.* V. v. 50. (*Sic Dî voluiſtis*) VII. v. 110. *Sic Juppiter ille monebat.* XI. v. 901. (*& ſaeva Jovis ſic numina poſcunt*) Ovid. ex Pont. L. I. El. V. v. 70. *magni ſic voluere Dei.* Triſt. L. IV. El. VIII. v. 15. *Non ita Dîs viſum.* Metamorph. I. v. 366. (*Sic viſum ſuperis*) IV. v. 660. (*Sic Dii ſtatuiſtis*) V. v. 532. *nam ſic Parcarum foedere cautum eſt.* VII. v. 699. (*non ita Dîs viſum eſt*) XIII. v. 597. (*ſic vos voluiſtis*) Ibide v. 209. (*ita Dî voluere*) Gratius Cyneget. v. 135. (*ſic nemorum juſſere Deae*) v. 538. *ſic Dii voluere.* Phaedr. Fab. L. IV. XIX. v. 13. *ſic fatis placet.* Silius L. XIII. v. 45. *Quippe Deis viſum.* Statius Theb. L. IV. v. 780. (*ſic Parcae voluere*) V. v. 501. (*ſic Dii ſuaſiſtis*) VI. v. 376. (*ſic Jovis imperia, & nigrae voluere ſorores*) & alio quodam lo-

Digitized by Google

loco, *Lacheſis ſic dira jubebat.* Claud. Rapt. Proſerp. L. II. v. 6. (*ſic Parcae voluere*) III. v. 419. *Hoc placitum patri*; ubi forte legendum *ſic* placitum.

Caeterum *is* non ita humilis & abjecta vox eſt ut Carmen Lyricum eam refugiat: utitur ea Virgilius in Aeneide, & Horatius Carm. L. IV. 8. v. 18.

Ejus qui domita nomen ab Africa

Nunc ad ſecundam noſtram emendationem me transfero. Carm. Lib. IV. 8. v. 17.

Non incendia Carthaginis inpiae,

Ubi tu ſic ſcribis. *In quibus* verbis *horribilis ſane hallucinatio eſt, quae vix in ullum hominem de media plebe cadere potuit.* Deinde, paucis interpoſitis, *ſoli Chabotius Daceriuſque ingenue & aperte culpam arguunt.* Immo ante utrumque Glareanus in annotatione ad hunc ipſum verſum, ejus verba adſcribam. *Scipio Africanus ſuperior primus id cognomen meruit, ut author eſt Livius Libro ultimo tertiae Decados, qui Hannibalem vicit, & cujus praeconium celebravit Ennius. At is non incendit Carthaginem, ſed tributariam duntaxat fecit. Poſterior vero Africanus Pauli Aemilii filius eam tertio Punico bello delevit. Verum de hoc nihil Ennius: quippe qui longe antea mortuus erat. Horatius igitur ob vicinitatem tum nominum, tum rerum, hiſtoriam confundit, ut ſaepe faciunt Poëtae.* Nunc ad tua revertor. *Sed interea quid fiet, dices: quo tandem pacto Venuſinum tuum ex crimine evolves? Ego vero cum priſco Catone* Carthaginem

Digitized by Google

nem *delendam eſſe cenſeo ; & ſpurio verſu abolito, ſic caeteros continuandos eſſe,*

> . . . . *non celeres fugae ;*
> *Rejectaeque retrorſum Hannibalis minae ,*
> *Ejus qui domita nomen ab Africa.*

Agnoſco enim verſum Monachalis plane genii & coloris. Praeter enim ἀνιστορησίας *crimen, cujus jam eum damnavimus , peccat inſuper adverſus carminis menſuram & modulationem. Quippe metri hujus indoles & artificium requirit , ut ſyllaba ultima Choriambi, in qua caeſura & pauſa ſit, vocem terminet : ut*

> *Dona | rem pateras | grataque commodus*
> *Cenſo | rine meis | aera ſodalibus,*

Numquam ne ſemel quidem (ſciens hoc affirmo) diſceſſit ab hac regula Noſter, in verſu Aſclepiadeo. Captum itaque tenemus tenebrionem , qui modorum & artis imperitus caeſuram in media voce conſtituit,

> *Non in | cendia Car | thaginis impiae.*

Quod quale ſit flagitium , ii demum animadvertent, qui aurem habent, & quibus olim naſcentibus propitia Melpomene adfuit. Aliter autem ſe res habet (ne quis forte hic erret ignarus) in verſu proxime antecedente,

> *Rejectaeque retrorſum Hannibalis minae.*

Non enim (ut prima fronte videri poſſit) mediam ibi vocem diffindit caeſura. Quippe M litera cum vocali ſua rejicitur, & perinde eſt ac ſi ſic ſcri beretur,

> *Rejec | taeque retrorſ | Hannibalis minae.*

G *cujuſ-*

cujuſmodi in toto opere ſunt hi duntaxat, qui ſequuntur, I. 21.

Hic bellum lacrimoſ | um hic miſeram famem,

24.

Auditam moderer | e arboribus fidem.

III, 24.

Pravi ſunt element | a & tenerae nimis.

30.

Exegi monument | um aere perennius.
Vitabis Libitin | am uſque ego poſtera.
Regnavit populor | um ex humili potens.

IV, 5.

Mos & lex maculoſ | um edomuit nefas

Quod de verſus Aſclepiadei indole ſcribis & verum eſt, & pervulgatum: id enim religioſe obſervarunt Seneca & M. Capella, & recentes, quotquot inſpexerim, Poëtae. Praeterea Urſinus Scholae Ratisb. Rector in Inſtitutionum Grammaticarum Appendice pag. 271 idem in hoc carmine obſervandum eſſe praecipit, cujus verba lubens adponam. *Vitioſe ſyllaba remanet poſt pedem ſecundum, niſi vel ſynaloephe locum ibi habeat, ut in his Horatianis:*

Vitabis, ſtrepitumque & celerem ſequi.

Item,

Auditam moderere arboribus fidem.

Vel ſit vox compoſita, ut in iſto ejuſdem Auctoris,

Dum fragrantia detorquet ad oſcula.

Verum hoc utrumque duriuſculum, ideoque ſi fieri poteſt, vitandum.

Deinde

Digitized by Google

Deinde ais, *Aliter porro ſe res habet in unico illo verſiculo* Carm. II. 12.

Dum flagrantia de | torquet ad oſcula:

Ubi caeſura in mediam vocem incidere cuipiam videatur. Cujus licentiae arcanam rationem, ne forte eandem veniam Carthagini *dandam exiſtimes, jam tibi aperiam.* Atqui Urſinus, quem modo nominavi, hanc rationem, quam tu vocas *arcanam*, ante patefecit: quae tamen ab eo arcana dicta non eſt, & omnino talis dici non debet; nam in voce compoſita praepoſitionem a ſuo verbo concinnius ſeparari quam verbum ſimplex in ſyllabas diffindi quis ignorat? Sed tua nunc adferamus. *Dico igitur praepoſitionem* De *quaſi ſeparari a verbo* Torquet: *quippe quae non nativa vocabuli ejus pars ſit, ſed adventitia & externa. Sine injuria itaque divelli poterit per caeſuram, & non incommode pauſam ſuſtinere. Quod & alio exemplo tibi confirmabo in verſu Alcaico, qui Choriambi acceſſione ex Aſclepiadeo naſcitur; ut*

Nullam | Vare ſacra | vite prius | ſeveris arborem.

Cum enim & hujus metri ſuavitas in eo maxime conſiſtat, ut bini illi Choriambi ſemper deſinant in voce integra, ut jam vidiſti; idque ubique diligenter caverit Flaccus (Graeci enim hic negligentiores erant) in uno duntaxat verſiculo praepoſitionem a ſuo verbo diſſolvere auſus eſt.

Arca | nique fides | prodiga per | lucidior vitro.

Eandem itaque veniam ſperavit & impetravit hic in Perlucidior, *quam illic in* Detorquet; *ut praepoſitio ſcilicet caeſuram ſuſtineat, tamquam a verbo diviſa.* Illud hic a te omiſſum, quam-

quam ad hanc rem inprimis pertineret; quod apud Ciceronem & nonnullos alios Auctores inter praepoſitionem *per* & ſuum verbum etiam in oratione numeris ſoluta quaedam interponuntur: ex quo intelligitur, praepoſitionem *per* in *perlucidior* a *lucidior* ſeparatam pro verbo integro haberi poſſe. Sed tua proſequamur. *Id quod fruſtra, opinor, expectaſſet, ſi invita Lyra & non ſine aurium vulnere illud abſonum concinuiſſet,*

Non incendia Car | thaginis impiae.

Nullis enim fidiculis divelli poteſt, ea ſyllaba; utpote non extrinſecus adducta, ſed inhaerens & inſita: & proinde ad pauſam ſuſtinendam inepta & plane inhabilis. Habeat itaque ſuum ſibi Falſarius, & hiſtoriae & artis ignariſſimus; neque candidis ſtellis maculam inſpergat: quem ſi omnibus veſtigiis indagare & comprendere conati ſumus; eruditus Lector vel ipſius Horatii cauſa, cujus res hic agitur, votis ſuis favebit.

Cur de hoc invento tam magnifice glorieris, cauſa non eſt; quoniam dum Horatium ab errore memoriae & carminis Aſclepiadei artificii ignoratione abſolvere ſtudes, ei judicii errorem, qui longe gravior eſt, turpiſſime affingis. Quid enim rectae ſcribendi rationi magis repugnat, quam cum Poëta carminum virtutes ſummis laudibus in coelum efferre conatur, illum tam parce, tam jejune eas laudare? ut hoc unum de pretio carminum dicat.

Non celeres fugae
Rejectaeque retrorſum Hannibalis minae;

Ejus

Digitized by Google

Ejus qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabrae Pierides:

Audiamus Ti. Sempronium Gracchum apud Livium L. XXXVIII. c. 53. *Sub pedibus veſtris ſtabit, Tribuni, domitor ille Africae Scipio? Ideo quatuor nobiliſſimos duces Poenorum in Hiſpania, quatuor exercitus fudit fugavitque; ideo Syphacem cepit, Hannibalem devicit, Carthaginem* vectigalem *nobis fecit*. Quibus verbis Gracchus Scipionem egregie ſane laudavit: quod ſi ſummum ducem ab hoc ſolo, quod Hannibalem in Africam retraxerat, laudaſſet, profecto neque apte neque decore de illius meritis locutus fuiſſet. Debuit igitur Horatius, carminum vires maximis Scipionis rebus geſtis aequare, quod ab eo hic eſſe factum omnino credendum eſt; leniſſima enim correctio, quae hoc in loco & judicii tui infirmitatem & artis criticae imperitiam patefacit, honorem ſuum Horatio reddit. Itaque repono

Non inpendia *Carthaginis inpiae*

cujus verbi vim indocto Interpolatori non intelligenti percommode ſe obtulit *incendia*. *Impendia* autem hic vectigal vel tributum ſignificat. Varro de Lingua Latina in fine libri IV. *Compendium quod cum compenditur, una fit. A quo uſura, quod in ſortem accedebat*, inpendium *appellatur: quae cum accederet ad ſortem ex uſu, uſura dicta eſt*. Et hoc ſenſu Cicero in Bruto Cap. IV. hoc verbum uſurpat. *Seremus igitur aliquid tanquam in inculto, & derelicto ſolo;*

 quod

quod ita diligenter colemus, ut impendiis *etiam augere poſſimus largitatem tui muneris; modo idem noſter animus efficere poſſit, quod* AGER, *qui cum multos annos quievit, uberiores efferre fruges ſolet.*

Inpendiis autem *augere*, eſt cumulo & quaſi uſuris augere, ut recte exponit Gronovius ad Atticum Lib. VI. Epiſt. I. ad haec verba: *Itaque aut tutela cogito me abdicare, aut ut pro Glabrione Scaevola, foenus et* impendium *recuſare.* Verbum *inpendium* ſignificat quoque ſumptus, inpenſas & quicquid denique ex neceſſitate penditur vel ſolvitur. Et in hoc verſu, *Non* inpendia *Carthaginis inpiae*, denotat pecuniam, quam vectigalis nomine Romanis inferre Carthaginem Scipio Africanus compulit; de quo vide Livium L. XXX. c. 37. & Polybium L. XIV. c. 18. Et hac notione *inpendia* uſurpavit Statius Sylv. L. III. 3. vv. 87. 88.

. . . . . *partaeque per omnes*
Divitiae populos, magnique impendia *mundi.*

Jam Horatius ita emendatus uno verſiculo maximas Scipionis laudes complexus eſt: nam qui dicit Carthaginem a Scipione coactam, ut Romanis vectigal pendere promitteret, is certe victoriam, quam de Hannibale reportavit, quae ejus praecipua laus eſt, haud obſcure indicat; nam ſi Scipio Hannibalem non deviciſſet, illam conditionem ſuperba Carthago indubie repudiaviſſet.

Relinquitur, ut argumentum, quod ad hunc ver-

Digitized by Google

verſum delendum omnino valere putas, diluamus: eſt autem tale, *Metri Aſclepiadei indoles requirit ut Syllaba ultima Choriambi, in qua caeſura & pauſa ſit, vocem terminet*, ut

Dona | rem poteras | grataque commodus

a qua regula numquam ne ſemel quidem diſceſſit Horatius: at haec emendatio caeſuram conſtituit in verbi Carthaginis ſyllaba car, *quae nullis fidiculis a caeteris divelli poteſt, utpote non extrinſecus adducta, ſed inhaerens & inſita: & proinde ad pauſam ſuſtinendam inhabilis.*

Verum omnino dicendum eſt Horatium hic Graecos imitatum eſſe, quemadmodum ſupra bis fecit in verſibus Sapphico & Adonio, ubi in duas partes diffidit *Uxorius* & *Venale*, quod non magis in eo genere carminis, quod eſt ſuaviſſimum, quam in Elegiaco fieri debet. Et huc pertinet quod de *Tuticano* Ovidius ex Ponto L. IV. Ep. 12. vv. 7. 8. ſcribit,

Nam pudet in geminos ita nomen findere verſus,
Deſinat ut prior hoc, incipiatque minor.

quamquam minus repraehenſionis videtur habere *Tuticanus* nomen proprium ita diviſum, ut *Tuti* Hexametrum verſum finiat, & Pentameter a *Canus* incipiat, quam habent *Uxorius* & *Venale* in duas partes diſſecta. Adde quod Serm. L. II. 3. verſum 118 *unde* finit, & verſus ſubſequens ab *octoginta* incipit. Quod autem *Argiletum* diſſolvit Virgilius Aen. VIII. v. 346.

Teſtaturque locum, & letum *docet hoſpitis* A rgi

id aptiſſime fecit, illic enim *Argiletum* ab *Argi leto* appellatum eſſe tradit. Martialis quoque *Argiletum* L. I. Epigr. 118. diſſecuit, ſed non ea ratione, qua Virgilius,

Argi *nempe ſoles ſubire* letum

& hoc idcirco ab eo factum puto, quod, junctene poneretur *Argiletum*, an *Argi* & *letum* disjungerentur, parum referre exiſtimabat.

Verum ad illud tandem veniam, quo argumentum tuum efficaciſſime refutatur, Horatius Carm. L. II. 14. v. 17. verbum *certamina* in duas partes diſcerpſit, & caeſuram contra metri Alcaici legem & naturam in ſyllaba *cer*, quae nulla vi a *tamine* diſtrahi poteſt, conſtituit,

Spectan | dus in cer | tamine Martio

& omnino animadvertendum in verſu Alcaico nuſquam niſi hoc in loco Noſtrum huic legi non obtemperaſſe: Ex quo intelligitur, alterum tuum argumentum, quod eſt hoc: *in verſu Aſclepiadeo numquam ne ſemel quidem ab hac caeſurae regula diſceſſit Horatius*, *ideoque verſus* Non incendia *eſt delendus*, eſſe vitioſum. Sicut enim ex eo, quod in illo ſolo verſu Alcaico, quem modo adtuli, caeſurae gratiam neglexit, non neceſſario conſequitur verſum illum eſſe ſpurium; ita ex eo quod in hoc verſu *non inpendia Carthaginis inpiae* legi caeſurae non paruit, concludi non debet hunc verſum eſſe ſubditiтium: praeſertim cum Graecorum more verbum *Carthaginis* diſſolverit.

Illud hic addendum Acronem in ſuis exemplaribus

Digitized by Google

plaribus hunc verſum legiſſe; nam ad verbum *impiae* hanc habet notam, *Quia ter geſſit bella contra Romanos*, quae verba hoc ordine legi debere cenſeam, *contra Romanos ter geſſit bella*. Quibus verbis haec praeponenda putem, *contra foedus juramento violato*, quae propter vocis *contra* repetitionem Librarius praetervolavit. Haec autem verba *contra foedus &c.* apud Commentatorem Cruquianum extant, ubi haec etiam leguntur, *Romanis rebellarunt*, pro quibus forte reponendum, *contra Romanos ter bellarunt*, Verbi denique unius pluriumve iterationem multa praetermittendi Librariis anſam ſaepe praebuiſſe notiſſimum eſt. Jam verbo *inpiae* aptius epitheton hic excogitari non potuit: Scipio apud Livium L. XXX. c. 37. *Poſtero die, revocatis legatis, & cum multa caſtigatione perfidiae monitis, ut tot cladibus edocti, tandem Deos & jusjurandum eſſe crederent.* Horum enim verborum *Deos & jusjurandum eſſe crederent* vim verbum *inpiae* optime exprimit.

Nunc ut totam hanc rem paucis complectar. Cum Regula, quae multis iiſque certiſſimis obſervationibus, ut in Notis ad Horatium oſtendi, ſubnixa eſt, hanc emendationem nobis offerat; & cum ea Poëtae judicium integrum & intactum tueatur, cumque ratio, quae hunc verſum delendum eſſe ſuadet, eadem verſum illum Alcaicum, qui ſine ulla controverſia Horatium habet Auctorem, delendum eſſe ſuadeat; cumque hoc loco Graecos imitari ſibi licere putaverit; denique cum hunc

verſum Acron in ſuis Libris invenerit, verbum *inpendia* in contextum inducendum eſſe cenſui.

Caeterum illud ſilentio praetereundum non eſt, quod tuae V. Cl. cauſae patrocinari videtur; quamquam id a te animadverſum non eſt. Diomedes Putſch. Gramm. vett. p. 526. ad Od. VIII. Lib. quarti ait, *Ode Aſclepiadeum metrum habet, & per ſingulos verſus penthemimeres ſcanditur. Dona | rem pate | ras. grataque commodus.* Ex quo colligas hunc verſum, cum caeſuram quam vocant *ſemiquinariam* non habeat, in Diomedis exemplaribus non extitiſſe. Verum cum idem Diomedes ad Oden XIV. ejuſdem Libri ſcribat: *Ode Alcaicum metrum habet, quod, ut ſupra diximus, ſcanditur.* Supra autem p. 519. ad Oden IX. Lib. I.

Vides ut alta ſtet nive candidum

ſic ſcripſit. *Hoc metrum alio genere ſcanditur. Primus & ſecundus verſus ex Penthemimeri conſtant Jambico & duobus Dactylis.* At in verſu 17, qui in Ode XIV. legitur,

Spectandus in certamine Martio,

Penthemimeris iambica non reperitur, & idcirco omnino dicendum eſt, neque hic neque in 8va Ode Libri IVti a Diomede obſervatum eſſe id, quo de agitur, nempe Horatio in utroque loco Penthemimerim caeſuram curae non fuiſſe.

Nunc ad tertiam emendationem accedo, Epod. XVII. v. 22.

Reliquit oſſa pelle amicta lurida.

Ubi

Digitized by Google

Ubi tu ſic; *Vide modo integrum locum*; *& miraberis quorundam ingenium, qui melius pejus, jure injuria, quidvis defendunt, quod a magno auctore profectum credunt:*

Fugit juventas & verecundus color
Reliquit oſſa pelle amicta lurida.

Quibus verbis olim offenſus vir magnus Julius Scaliger, Quis, *inquit*, dicat colorem reliquiſſe oſſa? non igitur debuit dicere oſſa amicta pelle, ſed reliquiſſe pellem amicientem oſſa. *Nihil hac cenſura juſtius clariuſve dici poteſt.*

Deinde ais; *Quid enim? verecundus color eſt rubor. Id quidem ſine controverſia eſt.* Rubor *ergo* reliquit oſſa. *Qui pote, ut locum relinquat, ubi numquam fuit? quis* rubra oſſa *vel fando audivit?* . . . . . . *Quid quod* verecundus color *non quivis* rubor *eſt, nec in qualibet parte corporis, ſed proprius* genarum. *Nemo enim, cui ſanum eſt ſinciput, ſanguinem, aut vulnus, aut naſum, aut ſupercilia, aut capillum, aut quidvis praeter genas* verecundo colore *ſuffuſum dixerit.* . . . . . . Sed *in aperto*, inquis, *& facili poſita eſt vera emendatio*

Reliquit ORA *pelle amicta lurida.*

Ora *reliquit*, *non* oſſa; *quippe in* ore *ſolo ſedem & locum habet.* Recte quidem dici, *verecundum colorem ora relinquere* locis ex Virgilio, Ovidio, & Seneca Tragoedo adductis comprobas, & ſane hoc ita recte dici dubitari non debet.

Hanc emendationem recipi duae res vetant, una, quod cum omnibus aliis libris diſtinguis

poſt

Digitized by Google

poſt *ora*, cum interpungendum ſit poſt *reliquit*, ut *me* ſubintelligatur: Ut apud Plautum Menaechm. Act. V. Sc. II. vv. 5. 6. *Vires reliquere*, accuſativo non addito; ita quoque Virgilius Aen. VI. v. 735.

Quin & ſupremo cum lumine vita reliquit.

Deinde legendum *amictus* ut ſubaudiatur *ſum*; quam lectionem obſervatio, cujus ope multos locos huic libello inſertos reſtitui, mihi monſtraſſet, etſi tu ita legi in Codd. Reginenſi & Magdalen nſi non indicaſſes. De hac autem lectione *amictus* & de *amictas*, quod, ais, habet codex Bodleianus, ſic ſcribis, *quae neſcio equidem quid ſibi velint: alii ingenioſiores hic ſe exerceant*. Quid? ignoras ex non intellecta verborum conſtructione multa ab Interpolatoribus eſſe mutata & quidem nuſquam graviores mutandae conſtructionis cauſas habuerunt, quam hic; nam cum neque *me* neque *ſum* hic ſubaudiri intelligerent, neceſſario *amictus* in *amicta* mutandum fuit, ut ad *oſſa* & ad *reliquit* referretur. *Amictus* autem reponi & ſtructurae elegantia depoſcit, & figura Ellipſis, quae ad dolorem exprimendum eſt maxime accommodata; miſere enim dolentis oratio eſt impedita, perturbata, obſcura; adde quod in hoc ipſo Carmine praeter has Ellipſes aliae reperiuntur, ut ſupra vv. 17. 18.

tunc mens & ſonus
Relapſus, atque notus in voltus honor.

ubi poſt *relapſus* ſubauditur *eſt*; & ſimiliter infra v. 49.

Tibi

Digitized by Google

Tibi hoſpitale pectus, & purae manus;

ubi *ſunt* ſubintelligitur; & v. 50.

Tuuſque venter Pactumeius,

ubi iterum verbum ſubſtantivum ſubauditur. Denique *oſſa amictus pelle lurida* recte dici ita notum eſt, ut exemplis comprobari non debeat.

Jam ſi ſemota etiam veterum librorum auctoritate *amictus*, ut oſtendi, legendum ſit, certe ſi id vel in uno codice extet, ſine ulla dubitationis ſuſpicione alteri ſcripturae *amicta* praeferendum eſt, quoniam lectio *amictus* ita abſtruſa, ita recondita, ita ab Interpolatorum ingenio & doctrina aliena eſt, ut eorum nemini ne in mentem quidem venire potuerit, cum & tu V. Cl. confitearis quid ſibi velit te non intelligere: contra altera lectio *amicta* Correctorum ingenium & inſcitiam omnino redolet. Et hac ipſa ratione in dijudicandis codicum lectionibus te ſaepe, quamquam non ſemper apte, uſum eſſe animadverti. Epod. VII. v. 13.

Furorne caecos an rapit vis acrior

ubi tu, quamquam multo major pars codicum habeat *caecus*, tamen *caecos* rectius eſſe adfirmas, hac motus ratione, *quod Librariis tam non vulgarem conſtructionem contra receptam lectionem ex hac procudere proclive fuit*. Atqui longe minus vulgaris eſt haec, de qua agitur, conſtructio, quam ne tu quidem, ut fateris, intelligis. Similiter ad Serm. II. III. v. 188.

Rex ſum: nil ultra quaere plebeius: & aequam

tu

tu eadem ratione motus *quaere* non *quaero* ab Horatii manu fuiſſe contendis; *quaere* enim, ais, *facile interpolari potuiſſe ab illis ſciolis, ut laboranti verſui mederentur; ignaris ſcilicet & virtute caeſurae & ob duplicem conſonantem τὸ* quaere *hic poſteriorem ſyllabam producere: contra, ſi* QUAERO *ab Horatii manu fuiſſet, nuſquam quemquam inventum iri, qui τὸ* quaere *vel ſomnio ſubſtitueret.* Atque hoc verius de *amicta* dicetur, quoniam, ſi ita ſcripſiſſet Horatius, a nemine unquam in *amictus* mutatum fuiſſet. Quod autem de interpolatione verbi *quaere* ſcribis, alio tempore in diſceptationem vocabimus.

Ad quartam emendationem progredior.

Serm. I. I. v. 100,

Diviſit medium, fortiſſima Tyndaridarum.

Tyndaridarum ſic habent omnes omnino Horatii codices & editiones, & ita adducit Quinctilianus Inſtit. Orat. Lib. IX. c. 4. pro quo tamen vix dubitem quin *Tyndariarum* reponi debeat, id eſt filiarum Tyndari Helenae & Clytemneſtrae, quarum haec maritum ſuum Agamemnonem occidit, illa Deiphobum, cui poſt Paridem nupſerat. Vide Hygini fabulam CCXL. *Tyndaridarum* autem hoc loco Latini ſermonis conſuetudo reſpuit, quoniam hoc Libertae factum neque ad Caſtorem neque ad Pollucem niſi inepte referri queat: quare non minus Latinum eſt hoc, *fortiſſima Tyndaridarum*, quam illud foret, *Tyndaridae maritos ſuos interfecerunt*, cum hoc Libertae facinus aeque

aeque indecore ad Caſtorem vel Pollucem referretur, atque illa Clytemneſtrae & Helenae ad eorum alterutrum referrentur. Nunc argumenta, quibus vulgatam lectionem tueri conaris, adſcribam. *Melius eſt*, inquis, *ita locum exponere* (*quod & olim tetigit Lambinus*) *ut* Tyndaridarum *genere quidem maſculino utriuſque ſexus liberos, tam filias quam filios comprehendat. Liberta igitur illa Ummidii erat altera Clytemneſtra*, fortiſſima omnium liberorum Tyndari; *quo modo & ſalva erit ſententia, neque ulla ſcabies nitidiſſimo Poëtae affricabitur. Syneſii Philoſophi Epigramma, Antholog. IV.* 4.

Οἱ τρεῖς ΤΥΝΔΑΡΙΔΑΙ, Κάστωρ, ΕΛΕΝΗ, Πολυδεύκης.

Tres illi *Tyndaridae*, Caſtor, *Helena*, & Pollux.

Helena ergo, ut vides, erat una *& quidem pulcherrima* Tyndaridarum. Atqui *Tyndaridae* ibi ad filios & filiam; hic ad ſolas Tyndari filias pertinet. Deinde ais; *Quin & alias maſculinum genus ſub ſe alterum concludit.* Digeſt. Lib. X. Tit. 2. L. 38. Lucius & Titia *fratres*. Et Lib. II. Tit. 2. L. 35. Tres *fratres* Titius & Maevius & Seia. Verum utrobique fratrum nomina adpoſita ſunt. Deinde ex Livio Lib. XXXVII. c. 3. haec adfers; *Legati ab Ptolemaeo & Cleopatra, regibus Aegypti venerunt.* Atqui de duabus Reginis hoc peſſime dixiſſet. Denique ex Tacito Annal. XII. c. 4. haec adducis; *Fratrumque non inceſtum, ſed incuſtoditum amorem ad infamiam traxit: hoc eſt, Silani & Juniae Calvinae.*

Digitized by Google

nae. Atqui hoc de duabus foeminis ſolis dici Linguae Latinae uſus prohibet. Praeter hoſce locos, quos a Briſſonio & Gronovio patre accepiſti: idem Briſſonius laudat l. 93. §. 3. Lib. XXXII. *Quaeſitum eſt, an, quod heredes fratribus rogati eſſent reſtituere, etiam ad ſorores pertineret? Reſpondit, pertinere*; ubi Juriſconſultus bene addidit, *niſi aliud ſenſiſſe teſtatorem probetur.* Quod verbum *fratribus* anguſtiore forte ſignificatu teſtator uſurpaverat. Et Quinctilianus Inſt. Or. IX. 3. *marem foeminamque filios dicimus*, & ita puer & puella pueri dicuntur. Cic. ad Att. XVI. II. *Atticae, quoniam quod optimum in pueris eſt, hilarula eſt, meis verbis ſuavium des*, ubi *pueris* non eſt a nominativo *puera*, ut quidam vir doctus exiſtimavit, ſed a *puer*; tam enim in pueris quam in puellis hilaritas laudatur. Jam ſi hic cauſam peccandi quaerimus; eſt ea in promptu. Corrector, cum *Tyndariarum* verbum inſolens & ſine ſuo ſubſtantivo poſitum non intelligeret: cumque *Tyndaridum* lex metri reſpueret, quidque *Tyndaridae* & *Tyndarides* differrent, forte neſciret, in locum *Tyndariarum*, *Tyndaridarum* ſubſtituendum arbitratus eſt. Jam *Tyndarius* habes apud V. Flaccum L. I. v. 167.

Tyndariuſque puer mihi vellere dignior Helles.

& vv. 570. 71.

In bifidum diſceſſit iter fratreſque petivit
Tyndarios.

Ubi

Digitized by Google

Ubi ſubſtantivum *fratres* omitti potuerat, ſi id per metrum licuiſſet, ut Ovid. Met. XIII. v. 194.

Quo ſi Talamonius iſſet,

Tyndareus autem Ovidius tribus quatuorve locis pro *Tyndarus* poſuit. Nunc illud, quod in exemplaribus Quinctiliani Inſtitt. Oratt. L. IX. c. 4. extat, *Nec ſolum ubi quinae ſyllabae nectuntur, ut in his*, Fortiſſima Tyndaridarum, emendationi noſtrae non adverſatur. Quoniam ex his verbis hoc unum neceſſario infertur, in extremo loco fuiſſe verbum quinque ſyllabis conſtans; & tale eſt *Tyndariarum*, quod ab imperito Correctore ibi in *Tyndaridarum* eadem ratione, qua hic apud Horatium, mutatum fuit. Adde, quod hos Inſtitutionum Libros mendoſiſſime deſcriptos eſſe teſtantur Editores.

Sequitur emendatio quinta.

Serm. Lib. I. VI. vv. 49. 50. 51. 52. 53.

Diſſimile hoc illi eſt: quia non, ut forſit honorem
Jure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum
Praeſertim cautum dignos adſumere, prava
Ambitione procul. felicem dicere non hoc
Me poſſum, *caſu quod te ſortitus amicum*:

Ubi tu ais; Poſſum *quidem*, *ſive quod in pluribus eſt* poſſim, *omnes quos viderim libri exhibent*, *& veteres editiones. Lectionem autem*, inquis, *ſaniorem habuit Scholiaſta Cruquianus, qui ad hunc locum ſic ſcribit*; non idcirco me felicem nominare DEBENT, quod caſu aliquo

Digitized by Google

aut fortunae beneficio tibi ſim factus amicus. *Quae verba*, ais, *oſtendunt Enarratorem illum non* poſſum, *ſed* poſſunt, *in ſuis exemplaribus reperiſſe*.

Multa hic peccas. Nam primo, illud *poſſunt*, quod te primum in contextum recepiſſe tacite adfirmas, habent duodecim editiones; idque A. 1696 revocavit Eduardus a Zurk. Deinde vera hujus loci lectio felicius ex ejuſdem Scholiaſtae adnotatione ad verſus, quos ſupra poſui, eruitur; ubi ſic ſcribit: *Prudentiſſime oſtendit diſſimilitudinem inter honores & amicitiam, inter fortunae bona, & virtutis meritum; nam honoribus publicis invidere quis poteſt, quia temere & ſine judicio* a populo (ſic legendum non *populi*) *decernuntur, ita ut indigni ſaepe ad honores perveniant; at quod virtute & vero judicio quis aſſequitur, hoc ei nemo invidere debet.* Quae verba haud obſcure indicant in Scholiaſtae libris verbum *poſſit* extitiſſe. Item in eo peccas, quod haec verba *Felicem dicere non hoc* . . . me POSSIT, ſic enim lego, ad illa

Quia non, ut forſit honorem
Jure mihi invideat quivis

referri non animadvertiſti; quo referri verborum ſeries demonſtrat, ideoque conſtructionis & modorum rationem poſtulare ut legamus *poſſit*. Scilicet, *non quivis poſſit* ut ante dixit, *quivis invideat*. Itaque non plene diſtinguendum poſt *Ambitione procul*, ut tu poſt alios facis, ſed ſubdiſtinguendum eſt.

Denique hebetudinem tuam admiror, quod, cum

Digitized by Google

cum in pleriſque codicibus *poſſim* inveneris, non ſubodoratus es illud *poſſim* ab inepto Interpolatore pro *poſſit* repoſitum eſſe, qui ſi in ſuis libris *poſſunt* inveniſſet, id indubie in *poſſum* mutaſſet. Quod autem attinet ad lectionem *poſſum*; cum ea in perpaucis iiſque recentioribus Mſſtis extet, omnino dicendum eſt, hanc lectionem inductam eſſe ab alio Correctore, qui, quod exiſtimabat indicativum modum loco convenire, *poſſim* mutavit in *poſſum*, non enim credibile eſt inveniſſe eum in ſuis codicibus *poſſit* cum antiquiſſima Cruquii exemplaria, vetuſtiſſimum Leidenſe, quinque Berſmanni & Franekeranum habeant *poſſit*.

Emendatio ſexta.

Serm. Lib. II.

III. vv. 316. 17. 18. 19. 20.

illa rogare
Quantane? num tantum, ſufflans ſe, magna fuiſſet?
Major dimidio. *Num tantum? cum magis atque*
Se magis inflaret; Non, ſi te ruperis, inquit,
Par eris.

Hic adnotas *tantum magna* idem valere quod *tam magna*, &, quod non monuiſti, vocem *tantum* ita expoſuit Cruquius. Deinde, *qua veri*, inquis, *ſpecie*, *reſpondit hic ranula*, major DIMIDIO? *An credibile eſt*, *ranam vel prima ſufflatione dimidio duntaxat minorem bove viſam eſſe? Certe, ut Noſter bene alibi, vel ipſa Fabula non quidvis ſibi credi poſtulet, ſed veris proxima & fidem aliquatenus habitura proferat. Quid igitur fiet? an ipſum Flaccum hujus*

H 2 cul-

culpae damnabis? an ob magnas multaſque ejus virtutes quidlibet potius in quemvis impinges, quam ut tantae incogitantiae reus peragatur? Equidem ſic potius ſcripſiſſem,

> *Quantane? num tantum, ſufflans ſe, magna fuiſſet?*
> *Major* PERNIMIO. *num tantum?*

Terentius Adelph. III. v. 30.

> *nimium inter vos, Demea, ac*
> *Non quia ades præſens dico hoc*, pernimium *intereſt.*

Certe hoc vocabulum & ſententiae aptiſſime congruit; & ſi compendioſam ſcripturam pnimio *contemplaris, haud ita multum abludit a recepta lectione. Quod ſiejuſmodi eſt, ut Horatio non tam dari, quam reddi & reſtitui videatur, equidem ejus cauſa gaudebo.*

Haec in multas incurrunt reprehenſiones. Nam primo, illud peccas quod hoc verbum *Dimidio* non eſſe Horatii, non adſeveraſti firmiſſime. Cum enim hoc genus fabulae animalia rationis & ſermonis expertia loqui fingat, decori ratio poſtulat, ut ita loquentia inducantur, ac ſi ratione eſſent praedita, quare ſi puerum hac de re interrogatum Horatius ſic reſpondentem feciſſet *major dimidio*, inſigniter ineptiviſſet, cum puer vel ineptiſſimus nunquam tam fatue reſponderit vel reſponſurus eſſet. Secundo, quod vocem *dimidio* Librarii incuria pro *pernimio* ſcriptum eſſe adfirmas. Hic enim error, dummodo legi deberet *pernimio*, non Librario ſed Interpolatori, ut in Notis oſtendi, vitio dandus eſſet. Tertio, quod hanc emendationem, verba *num tantum?*

qui-

quibus ſecunda continetur interrogatio, prorſus convellunt. Quarto in eo peccas, quod verbum, cujus locum occupavit vox *dimidio* a verbo *major*, pendere exiſtimaſti; nam verbo *major* ſolo prima comprehenditur reſponſio, uti mox videbis. Quinto erras, quod non animadvertiſti verbis *num tantum?* quae evidenter oſtendunt a matre iterum interrogari ranulam, reſponderi debuiſſe.

Nunc huic verſui quaerenda eſt medecina, quae eo difficilior repertu eſt, quod Regulae Criticae, quae pleriſque Flacci locis parum ſanis auxilium promittunt, huic denegant: reſtat igitur, ut ab ſola ſententia & verborum ſerie petamus opem: aut, ut rectius loquamur, dicendum, ut tuo V. Cl. ingenio beneficium hoc deberemus, ad tuas pertinuiſſe partes. Enimvero, cum emendationes tuas ad cynoſuram, ut ita dicam, regularum, quarum ne ulla quidem hic quidquam juvat, perraro direxeris; cumque in *Praefatione* ſic ſcripſeris, *ita omnia praecepta jam ſunt: neque quidquam fere reſiduum eſt, niſi quod ex intima ſententiae vi & orationis indole ſolius ingenii ope ſit eruendum*, ob has, inquam, cauſas a quo potius quam a te hujus loci, qui fere inſanabilis videtur, reſtitutionem expectare fas erat. Tu quidem primus, quod diſſimulari non debet, animadvertiſti illud *dimidio* cum ingenio & judicio Flacci parum conſentire, & idcirco ad locum ſanandum tuam curam contuliſti. Sed infeliciſſimo ſucceſſu, tua enim emendatio

evidenter oſtendit te Poëtae ſententiam duobus locis ne intellexiſſe quidem. Ego ſane, ſententia loci haud ſegniter perpenſa, ſic eum recte emendari arbitror.

Major. dein. *num tantum?* major. *cum magis atque* &, ut hujus loci veram eſſe hanc lectionem ſentiam, duo me movent; unum, quod voce *major* poſt *tantum* addita ſecundae interrogationi, cui omnino reſponderi oportuit, optime reſpondeatur. Quoniam autem ad verſum complendum una ſyllaba adjicienda eſt, particula *dein*, quae ad tranſitionem a prima ad ſecundam interrogationem ſignificandam eſt aptiſſima, verſui ſuam integritatem reſtituit. Deinde, ut ita ſentiam, illud me inducit, quod aliae voces, quae Poëtae menti & metro conveniant praeter has *dein*, *major*, reperiri non poterunt; quod veriſſimum eſſe diligens inveſtigatio demonſtrabit.

Jam huic emendationi illud non refragatur, quod, ea ſi probaretur, Horatius obſcuritatis, quo vitio minime laborabat, jure coargui poſſet: quoniam poſt *dein* haec verba *ſe ſufflans rogare* omiſſa ſunt, quae tamen omitti non debuerant. Item quod poſt *tantum* omiſſa ſunt haec *magna fuiſſet*. Atqui haec verba *magna fuiſſet*, cum ad ſecundam interrogationem *num tantum?* pertineant, commodiſſime a communi repeti apertum eſt. Quod autem ad illa *ſe ſufflans rogare* attinet, dicendum eſt ea apte ſubintelligi, cum haec verba *dein. num tantum? major.* cum antecedentibus juncta, ea, quae ſubin-

ſubintelliguntur, attente legenti offerant. Idemque de illo Serm. II. Lib. I. v. 46. dicendum.

Demeterent ferro, jure omnes. Galba negabat.

ubi ad verbum *omnes* haec tria *jureconſulti factum aiebant* ſubaudiuntur: neque hic obſcuritatis culpa Horatio importanda eſt; cum verba ſubintellecta lectori non valde imperito ſtatim in mentem veniant. Et dubitandum non eſt, quin Romani, cum hos verſus legerent, ea, quae verbis expreſſa non eſſent, antecedentibus & conſequentibus utrobique tacite ineſſe perſpexerint.

Aliud hic argumentum, quod emendationem hanc acriter impugnare videtur, occupandum eſt & expugnandum; eſt autem tale. Correctio haec verbum *dimidio* in *dein* mutando, & poſt *tantum* verbum *major* addendo, in verſum numeros ita inſuaves inducit, ut tam male compoſitus apud Horatium nuſquam extet: quae inconcinnitas ex eo naſcitur, quod haec mutatio & additio verſum omni caeſura exſpoliant. Haec igitur emendatio ſine ulla dubitatione improbanda eſt. Verum hujus argumenti vires ejuſmodi non ſunt, ut argumentorum, quae ſupra adduxi ad emendationem firmandam, & alterius, quod e Phaedri Fabulis mox adducam, vires labefactare valeant: argumenta enim, quae correctionem ſuſtentant, talia ſunt, ut de ejus veritate dubitari non debeat. Deinde ſi verſum, ut ſententia, id eſt, ut interrogatio & reſponſio poſtulant, legemus, aures parum offendentur. Poſtremo, cum numero-

Digitized by Google

rum virtutes duae ſint; una, ut verborum bene ſonantium dilectu & apta pedum collocatione aures voluptate afficiant: altera, ut numeri ipſas res imitentur, hoc eſt, ut verbis eorumque junctura efficiant, ut res non narrari videatur ſed ob oculos poni; dicendum eſt Horatium hic ranam maximo niſu ſe iterum & iterum ſufflantem, & ita periculum ſeſe rumpendi adeuntem velut ſub aſpectum voluiſſe ſubjicere; quod ſe aſſecuturum putavit, ſi caeſurae gratiam negligeret, & curſum verſus, ut ita dicam, rumperet, ut is non incedere ſed id ſummo niſu conari videretur: atque hanc numerorum virtutem, quae jure primas obtinet, ut Homero & Virgilio curae fuiſſe notiſſimum eſt, ita res ipſis numeris quibuſdam in locis veteres Interpretes Horatium expreſſiſſe animadverterunt. De qua virtute, & de quorundam verſuum Horatii inconcinnitate vide Notas noſtras in Horatium.

Illud denique argumentum emendationi noſtrae non obeſt, quod inter ſcripturam verbi *dimidio* & particulae *dein* perexigua eſt cognatio; & idcirco *dein* in ejus locum non recte ſubſtitui. Quoniam Interpolatores cum verba mutant, ſenſum, quem iis convenire putant, potius quam ſcripturae vicinitatem reſpiciunt; quod iis, qui veteres libros attente & cum judicio verſarint, non incognitum eſt, hoc argumentum ad emendationem convellendam nihil valere eſt evidentiſſimum. Itaque Interpolator, quod nihil ſani ſenſus erui poſſe putabat ex hoc verſu

Major dein num tantum major cum magis atque

eum

Digitized by Google

eum reſingendum eſſe exiſtimavit, &,ut inſcitiſſima Correctorum natio ſolet, eum refinxit ineptiſſime.

Reſtat,ut e Phaedro verſus,quibus noſtra correctio comprobari videtur, adferamus. Phaed. Lib. I. Fab. 24.

Rugoſam inflavit pellem, tum natos ſuos
Interrogavit, an bove eſſet latior.
Illi negarunt. Rurſus intendit cutem
Majore niſu, & ſimili quaeſivit modo,
Quis major eſſet. Illi dixerunt bovem.

In his verſibus verba quaedam habentur,quae cum rationibus, quibus ſuffulta eſt noſtra emendatio, videntur conſentire. Nam primo ſecundae interrogationi reſponderi debuiſſe ſupra oſtendi, neque ei aptius reſponderi potuiſſe quam per verbum *major*. Et cum hac obſervatione conveniunt illa Phaedri verba: *Quis major eſſet. Illi dixerunt bovem*, ſcilicet eſſe majorem. Secundo ante alteram interrogationem oſtendi pro *dimidio* reponendum eſſe *dein*, & hic apud Phaedrum habemus *rurſus:* hoc quidem Horatius & Phaedrus differunt, quod hic plene & perfecte extulit, quae apud illum haud incommode, ut oſtendi, ſubintelliguntur. Praeterea hi Poëtae hoc differunt, quod Phaedrus poſt ſecundam reſponſionem ſic ſcribit,

Noviſſime indignata, dum vult validius
Inflare ſeſe, rupto jacuit corpore.

Horatius vero ſic,

Cum magis atque
Se magis inflaret; non ſi te ruperis, inquit,
Par eris.

Quibus verbis Horatii judicium agnoſcimus. Nam, ſi Damaſippus, cum ſtultiſſimam Maecenatis viri potentiſſimi imitationem Horatio exprobraret, eum jacuiſſe ruptum dixiſſet, contra decorum & veritatem peccaſſet: Quod ſi idem Horatio contigiſſet, quod Damaſippo contigerat, id eſt, ſi Horatius conturbaſſet, & magnis in aedificationes ſumptibus effuſis ad egeſtatem fuiſſet redactus, tunc quod Phaedrus de rana dixit, idem de Horatio vere, decore & venuſte Stoicus dicere potuiſſet.

Emendatio ſeptima.

Serm. Lib. II. VI. v. 29.

Quid tibi vis: inſane & QUAS RES *agis? improbus urguet*

ubi ſic ſcribis; *In noſtris omnibus membranis, (adde ſi vis, & aliorum, etſi ipſi taceant) verſus hic ſic ultra menſuram excurrit.*

Quid TIBI *vis inſane, & quas res agis? improbus urget.*

Unde pro vario Correctorum captu variis modis interpolatus eſt. Tres priſcae editiones ſic dederunt, τῷ agis *ejecto,*

Quid tibi vis inſane & quas res? improbus urget.

At editi poſt Aldum retinuerunt τὸ agis, *&* tibi *potius excluſerunt,*

Quid vis, inſane, & quas res agis? improbus urget.

eaque jam lectio per Interpretum patientiam impune circumfertur. Tu vero, ſi me audies, ſic poſthac locum refinges:

Quid TIBI *vis, inſane, &* QUAM REM *agis? improbus urget.*

Quid tibi vis *paſſim apud Comicos occurrit: &*

& τὸ tibi *nullo pacto hinc poteſt abeſſe*; *praeſertim ubi* inſane *ei adhaeret*. Atque hoc probas exemplis petitis e Cicer. de Orat. II. 67. Propert. I. V. v. 3. & Perſ. Sat. V. v. 143.

Illud vero quam rem agis, *noli*, inquis, *dubitare quin ab Horatii manu fuerit: quod corruperunt, credo, illi, quibus durior eſſe viſa eſt ſyllabae eliſio. Atqui eodem modo eliditur Sermone II.* 8. *v.* 67.

Committes rem *omnem & vitam, & cum corpore famam.*

Quamquam admirabilis hic tua V. Cl. eſt arrogantia & inſcitia; quoniam tamen de novem ineptiſſimis emendationibus, quarum alias in hoc libello, alias in Notis confutavi, idem pari confidentia adfirmare te deprehendi, ego ſane neutram admiror: ſed ut, quod inſtat, agamus, haec tua emendatio *quam rem* Regulae emendandi certiſſimae prorſus repugnat; & quod peccatum hoc tuum aggravat, haec ipſa Regula nulla excluditur exceptione: cum aliae fere omnes, quibus ad Horatii codices emaculandos utimur, officium ſuum quibuſdam in locis perdant. Ea autem eſt talis: Ubicunque Interpolatores, verbum uſitatum ac tritum, vel elocutionem vulgatam & notam in libris ſuis invenerunt, cum iis in locis corrigendi cauſam haberent nullam, nihil mutaverunt: quare cum hac lectione *quam rem agis* nihil uſitatius, nihil ipſis Interpolatoribus magis notum fuerit; cumque haec elocutio *quam rem agis* iis familiarior eſſet, quam illa *quas res agis*, haec verba *quam rem* eos in ſuis codicibus non repe-

riſſe perſpicuum eſt. Sed cauſam *quam rem* in *quas res* mutandi hanc adfers; *Corruperunt*, inquis, *quibus durior eſſe viſa eſt ſyllabae eliſio. Atqui eodem modo eliditur.* Sermone II. 7. v. 67.

Committes rem omnem & vitam & cum corpore famam.

Quid? eliſio Interpolatoribus percognita tantos animorum fluctus excitare potuit, ut tres ad verſum corrigendum curam ſuam conferrent? hic enim lectiones tres habent libri veteres, quarum duae a te relatae ſunt, tertia autem, quam in tribus priſcis editionibus extare dicis, extat quoque in uno & altero Msto. Praeterea ex te V. Cl. ſcire velim; an uſquam haec eliſio vel unum ex Interpolatoribus vel ad unum Horatii locum immutandum impulerit. Deinde in verſu quem adfers, ut oſtendas eodem modo eliſionem fieri,

Committes rem omnem & vitam, & cum corpore famam.

non ſolum haec eliſio, quam duriorem viſam eſſe iis, qui locum corruperunt, dicis, ſed & aliae duae eliſiones inveniuntur non minus durae quam eſt illa *rem omnem.* Hic tamen verſus ſine ulla varietate lectionis in omnibus libris extat, neque ullus unus Interpolator eam mutavit. Sed cur ego hiſce ineptiis immoror? Ecce tibi emendationem, quam ſupra p. 26. poſui, quae duas peccandi cauſas oſtendit, ſic enim lego;

Quid tibi vis inſane? quae *agis* rerum?

una peccandi cauſa fuit conſtructionis *quae rerum* ignoratio; altera figurae diſſolutionis, verba

Digitized by Google

verba enim *quid tibi vis* & verba *quae agis rerum* connectenda eſſe per *Et* Interpolator exiſtimavit. Quod autem ad conſtructionis inſolentiam attinet, quae non potuit non Correctores ad hunc locum immutandum excitare, latiniſſimam eſſe hanc elocutionem viri docti ſimilibus loquendi modis confirmaverunt. Et omnino eam conſtructionem tuetur illud Horatii, Epiſt. I. 17. v. 21. *vilia rerum*; quae elocutio ita Interpolatoribus diſplicuit, ut omnes fere codices *vilia verum* occupaverit. Propertius quoque L. III. 7. v. 7. idem fere loquendi genus habet.

Omnia *non pariter* rerum *ſunt omnibus apta.*

Deinde additio vinculi *Et*, quod tu poſt alios in contextum recepiſti, irae exprimendae nullo modo convenit: quoniam, cum animi ira perciti motus ſint celeres, aſperi, fervidi, haec conjunctio eorum celeritatem cohibet, aſperitatem emollit, fervorem extinguit. Quare etſi particula *Et*, quam unus e codicibus non habet, in omnibus extaret, eam tamen ſine ulla dubitatione ab Interpolatore, ut fieri ſolet, additam eſſe dicendum eſt. Nam Horatium hujus perturbationis animi naturam percognitam non habuiſſe nemo exiſtimabit.

Nunc ad has ſeptem emendationes, quas eſſe veras, idoneis, ni fallor, argumentis comprobavi, conjecturam, quae nonnullis lectoribus non inveriſimilis forte videatur, lubet adjicere. Carm. I. XII. vv. 33. 34. 35. 36.

Romulum poſt hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an ſuperbos
Tarquini faſces, dubito, an Catonis
Nobile letum.

Ubi pro *Tarquini* forte legendum *Junii*. Ad locum interpolandum tria Correctorem videntur impuliſſe. Unum, quod reges Romulum & Pompilium apte Tarquinius ſequi videretur. Alterum, quod illud *ſuperbos faſces* de Tarquinio rectiſſime diceretur. Tertium, quod nomen *Junii*, quid ſibi vellet, non intelligeret. Jam Brutum hic ab Horatio memorari nemini mirum videri debet; quoniam Virgilius Anchiſen, inter alias illuſtres animas, etiam Bruti animam Aeneae oſtendentem facit, Aen. Lib. VI. vv. 818. 819.

Vis & Tarquinios reges, animamque ſuperbam
Ultoris Bruti, faſciſque videre receptos?
Conſulis imperium hic primus ſaevaſque ſecuris
Accipiet: gnatoſque pater nova bella moventis
Ad poenam pulchra pro libertate vocabit
Infelix: utcumque ferent ea facta minores;
Vincet amor patriae, laudumque immenſa cupido.

Neque quemquam illud moveat, ideo Brutum ab Horatio ſilentio praeteritum eſſe, quod, ſi eum memoraſſet, id Auguſtum aegre laturum fuiſſe exiſtimavit. Non Virgilius Imperatoris ingenium perfecte cognitum habuit? is tamen Brutum non ſolum nominavit, ſed & ſummis laudibus eum proſecutus eſt, ut verſus modo allati oſtendunt.

Illud quoque conſiderandum, poſſe quibuſdam mi-

Digitized by Google

mirum videri Catonem hic ſtatim poſt Reges induci; quamquam enim temporum ordinem Poëta ſecutus non eſt, tamen Catonem hoc loco ab eo fortuito poſitum non facile credendum eſſe; jam ſi pro *Tarquini* reponamus *Junii*, non ſine ratione ſtatim poſt Reges memorari Catonem apparebit. Quid enim aptius, quam cum Bruto libertatis vindice Catonem conjungere? qui, cum libertatem reſtitui non poſſe exiſtimaret, amore, quem in patriam perpetuo teſtatus eſſet, libertate extincta, vivere velle indignum eſſe judicavit: *faſces* autem Bruti rectiſſime dici *ſuperbos*, hoc eſt, nobiles & glorioſos, ut Acron & alii interpretati ſunt, quis ignorat? Ceterum illud *anne Curti*, quod in locum *an Catonis* ſubſtituendum cenſes, improbandum eſſe, vel ea, quae Lambinus, Torrentius, Chabotius & Dacerius ad hunc locum, quaeque iidem ad Lib. II. 1. v. 24. *praeter atrocem animum Catonis* ſcripſerunt, abunde demonſtrant.

CA-

CAPUT XI.

Figuras Orationis opportune animadverſas tum ad ſanas lectiones tuendas, tum ad ſanandas vitioſas haud parum proficere.

Bentleius paſſim notatus.

ETſi figurae, quas Rhetores Aſyndeton & Polyſendeton appellant, tibi V. Cl. cognitae fuerunt, iis tamen ad veras a falſis lectionibus internoſcendas nuſquam, ſi bene memini, uſus es. Quas non ſpernendas ad veteres libros emendandos habere utilitates loca, quae earum admonitione ſanavi, ſatis ſuperque declarant. Harum prior, ut omnes norunt, fit ademptione conjunctionum; poſterior, autem conjunctionum adjectione. Et omnino animadvertendum, earum uſum adjuvari obſervatione critica, quae docet inſcitos Correctores, ubi vinculum deeſſe putabant, addidiſſe, ubi vero ſupereſſe, detraxiſſe. Utriuſque autem figurae idem fons eſt, utraque enim acriora facit & inſtantiora quae dicimus. A priori figura incipiam, eaque ad celeres animi motus, velut iram, indignationem, objurgationem, laetitiam, hilaritatem, & ut verbo dicam, ad omnia quae celeriter fiunt exprimenda inprimis accommodata eſt, & in his quidem ſi copula adderetur, totam orationis venuſtatem corrumperet, ut in illo Ciceronis, *abiit, exceſſit,*

Digitized by Google

exceſſit, *evaſit*, *erupit*. Nunc locos, quos hujus figurae auxilio reſtitui arbitror, adponam. Carm. Lib. II. I. v. 33.

Qui gurges, aut quae flumina lugubris

Sic in omnibus, quod ſciam, ſcriptis & excuſis legitur. Verum *ecquae* legi & hujus figurae ratio & ſollemnis Correctorum conſuetudo copulam, ubi eam deficere cenſebant, adjicientium, omnino ſuadent.

Ecquae autem non ſolum cum iis quae ſequuntur, optime convenit (omnia enim diſſolute currunt) ſed & concitatum Poëtae affectum aptiſſime repraeſentat; & omnino legi digna ſunt, quae Longinus de copularum additione Cap. XXI ſcite & eleganter ſcribit.

Item Lib. III. IV. v. I.

Deſcende caelo, & dic age tibia

ubi *&* deleri Poëtae affectus, qui eſt inſtantiſſimus, efflagitat; idque a vetuſto codice abeſſe poſtea deprehendi. Eod. Lib. VI. v. 22.

Matura virgo, & fingitur artibus:

ubi, niſi copula *&* tollatur, reprehenſio aculeo carebit. Eod. Lib. VIII. v. 14.

Soſpitis centum, & vigiles lucernas

hic quoque delenda eſt copula, diſſoluta enim oratio ad laetitiam exprimendam eſt aptiſſima. Eod. carmine v v. 27. 28.

Dona praeſentis rape laetus horae,
Linque ſevera,

ubi tu ſic ſcribis: *In omnibus meis codicibus poſt* horae *abeſt conjunctio* Et *vel* Ac; *itaque a*

prioris verſus fine, unde itidem abeſt, in Regi-nenſi noſtro & editionibus, huc reduximus. Sed inſcite, recte enim conjunctiones abeſſe & in v. 26. & in v. 27. vehemens Poëtae hortatio declarat.

Eod. Lib. XXV. vv. 2. 3.

Plenum? quae nemora, aut *quos agor in ſpecus,*
Velox mente nova?

In quibuſdam libris legitur *& quos.* Verum neutram addi particulam raptus celeritas patitur. Illud quoque hic adjiciendum, ab alio Correctore *aut*, ab alio *&* idcirco additum, quod poſtremam ſyllabam in voce *nemora* caeſurae vi produci ignorabant; & ex eodem fonte in eodem genere verſus manavit corruptio verſus 26. Lib. III. XVI.

Quam ſi, quidquid arat impiger Appulus,

ubi *impiger* in *non piger*, quod in quibuſdam libris extat, quidam imperite mutavit. Nunc occaſionem, quam Nota tua ad hunc verſum te reprehendendi praebet, amplector. *Quae nemora aut quos, ita recte habent Veneta & Loſcheriana cum* melioribus & pluribus *Membranis. ... Poſtea tamen in pleraſque editiones irrepſit* IN,

Plenum? quae in *nemora, aut quos agor in ſpecus.*

Crediderunt ſcilicet, in priore membro praepoſitionem ſubaudiri non poſſe: & recte quidem dici, quae in nemora aut quos ſpecus; *ſed non viciſſim,* quae nemora aut quos in ſpecus. *Fruſtra: nam elegantius fere in priore membro omittitur*

Digitized by Google

titur praepoſitio, quam in poſteriore. Virg. Aen. VI. 692.

Quas ego te terras *& quanta* per aequora *vectum*
Accipio

Statius Theb. VIII. 384.

Stat medius campis etiam nunc cuſpide ſicca
Bellipotens; jamque hos *clipeum jam vertit* ad illos.

Inuſitata tamen haec viſa ſunt bonis Librariis: nam Virgilii quidam codices apud Pierium habebant, Quas ego *per* terras*: & Statii membranae in Collegio Emanuelis,* Jamque *ad* hos

Idem Achill. II. v. 390.

Nec fracta ruentibus undis
Saxa *nec* ad *vaſtae trepidare ſilentia lunae.*

Hic, ut fere nuſquam non, tuae inſcientiae me pudet. Nam primo non ſermonis elegantia Flaccum ad praepoſitionem IN omittendam, ſed numerorum ratio hortata eſt: voluit enim & debuit celerrimo verſus curſu raptum ſuum repraeſentare; ut ipſe verſus cum Poëta rapto rapidiſſime ferri videretur, & eadem de cauſa vinculum AUT ſcienter omiſit. Quoniam colliſione vocalium in voculis *quae in* pariterque in verbis *nemora aut* verſus curſum retardari, qui aures habet, ſentiat neceſſe eſt: & hoc nobis aliud ſuggerit argumentum quod *aut* deleri debere oſtendit; ea enim particula ſublata ipſi numeri efficiunt ut Horatium raptum veluti cernamus. Quae numerorum virtus, uti norunt, qui Poëtas tractant, eſt vel maxima. Deinde loci, quos e Virgilio & Statio adduxiſti, ſententiae tuae nihil proſunt,

 hu-

Digitized by Google

hujus enim loci & illorum longe diſpar ratio eſt; cum IN hic additum poſt *quae* verſus menſuram non corrumpat; illic neque praepoſitionem *ad* neque *per* addi verſuum menſura patitur: Et quoniam ſimili modo ſaepe peccas, duos hic adſcribam locos e Notis tuis in Horatium, ubi exempla, ad id quod intendebas fulciendum, haudquaquam adcommodata produxiſti

Serm. Lib. I. I. v. 8.

Momento aut *cita mors venit*, aut *victoria laeta.*

Ad quem verſum ſic ſcribis; Momento cita mors, *ita quidem editiones veteres & codices plerique; noſtri certe omnes. Neque aliter citat Joh. Saresberienſis in Policratico VII. 16, Libri tamen Lambini quatuor,*

Momento aut *cita mors venit*, aut *victoria laeta.*

Quod elegantius & magis Horatianum. Sic Carm. III. 20.

Qualis aut *Nireus fuit*, aut *aquoſa*
Raptus ab Ida.

IV. 8.

Quas aut *Parrhaſius protulit* aut *Scopas*

Serm. II. 7.

Aut *inſanit homo*, aut *verſus facit*

& ſaepe alibi,

Quid? hinc tres loci te coegerunt, ut pauciorum ac deteriorum codicum lectionem probares? Non vidiſti, ſi particula *aut* vel ante vocem *Nireus*, vel ante *Parrhaſius*, vel ante *inſanit* omitteretur, unumquemque horum verſuum ſyllaba truncari? Non vidiſti, in verſu *Momento*

mento &c. etſi *aut* non poneretur, eum tamen remanere integrum & nulla ſui parte mutilatum? Itaque cum haec, quae a te allata ſunt exempla, in eo, in quo huic verſui *Momento* ſimilia eſſe deberent, ſimilia nequaquam ſint; cumque duriſſima vocalium in verbis *Momento aut* concurſatio verſus curſum, qui citatus eſſe debet, retineat, ac veluti refrenet, hanc lectionem alteri inſcitiſſime a te praelatam eſſe plus quam perſpicuum eſt. Verum cur ea lectio probanda ſit, hanc adfers rationem. *Librarii autem hic* AUT *omiſerunt, quia demto eo, verſui ſuum metrum conſtabat. Atqui illud animadvertere debuerunt*, horae momento cita mors venit, *niſi particula disjunctiva inſeratur ominoſum plane & infauſtum eſſe.* Hic non poſſum V. Cl. non tuum admirari ingenium; illud enim, quod, ſi abſit *aut*, dicis eſſe ominoſum, vere, lepide & acute a Poëta, *aut* non adjecto, dictum eſt: contra ea particula adjecta nihil ab eo dictum videtur, quod quivis non dixiſſet. Sed in quo hujus ſententiae lepos & argutia conſiſtant, aperiendum eſt. Mercator ut militiam ſuo vitae genere potiorem eſſe probet, hanc adfert rationem: *horae momento cita mors venit*; quae ratio non modo non probare videtur, id quod vult, verum id demonſtrare, militia nullum vitae genus eſſe odioſius, quod enim vitae genus majore cura fugiendum eſt quam illud quod mortem, quae omnium malorum eſt maximum, accelerat? Verum animadvertendum hoc dixiſſe merca-

Digitized by Google

torem cum navis Auſtris jactaretur, ejuſque mens metu mortis concuteretur. Et quoniam in naufragii periculo metus ille aliquamdiu durare ſolet, citam mortem pro beneficio eſſe credebat, cum mortis metus majus malum eſſe videretur quam eſſet ipſa mors. Jam ſi *aut* addas, omnis lepos, omne acumen intereat; ſtatim enim lectori, quod ſequitur in mentem veniat, nempe *aut victoria*.

Sed ad ſecundum locum tranſeamus. Serm. I. X. v. 49.

Haerentem capiti multa cum *laude coronam*.

Ubi tu ſic ſcribis. *Ita Editio Loſcheri & Veneta* 1490. *at altera his prior anno nempe* 1478 *alio verborum ordine*,

Haerentem capiti cum multa *laude coronam*;

quem & ipſe in plus decem codicibus vidi. Amat Noſter quotidiani ſermonis inornatam ſimplicitatem. Sic Serm. I. 8. 50

Vincula cum magno riſuque jocoque videres.

II. 3. 112.

Projectus vigilet cum longo fuſte; neque illinc

II. 7. 35.

cum magno blateras clamore, fugiſque.

Art. Poët. 260.

In ſcenam miſſus cum magno pondere verſus.

Plin. Epiſt. VII. 9. *Multos videmus ejuſmodi certamina ſibi cum multa laude ſumſiſſe.*

Idem de Horatii ſimplicitate alibi inculcas. Serm. I. IV. v. 68.

Et puris vivat manibus

Ubi ais, *Neſcio, unde hoc in Lambinianam & ſequen-*

ſequentes editiones venerit, cum vetuſtiores omnes, & codices quos viderim univerſi, alio ordine praeferant,

at bene ſi quis,

Et vivat puris *manibus.*

Mutavit aliquis, qui Horatio nitoris & ornatus pluſculum de ſuo largiri voluit; quo tamen Sermones, utpote ſimplices munditiis, facile carere poſſunt, & ſine eo placere.

Item Serm. I. VI. v. 47.

Nunc quia ſum tibi, Maecenas,

Ubi ſic ais, *Quis primus contra veterum exemplarium fidem* verborum ordinem *mutaverit, neſcio; ſed id, ut opinor, auſus eſt, quo verſus numeroſior evaderet. Nos vero, tam faſtidioſis auribus valere juſſis, ipſa ſimplicitate compoſitionis capimur: Neque vero numeri viliores hic ſunt, quam ſaepe alias in his Sermonibus.* At alibi huic doctrinae parum convenienter te ſcribere animadverti. Serm. Lib. I. I. v. 83.

Suſcitet, ac reddat gnatis *cariſque propinquis?*

Ubi, ais, *rectius habent alii codices, Suſcitet, ac* gnatis reddat*: quae verborum*, inquis, *collocatio & dulcior & elegantior eſt.*

Et quis hanc verborum collocationem *multa cum laude*, quam aliquot codices habent, elegantiorem eſſe propter praepoſitionem *cum* inter nomen ſubſtantivum & ſuum adjunctum interpoſitam, quam eſt illa *cum multa laude* non percipiat? quis eam quoque altera dulciorem eſſe ob caeſuram poſt tertium pedem, quam altera non habet, non ſentiat. Item cum

Digitized by Google

inornata illa numerorum ſimplicitate quam amare dicis Horatium pugnat adnotatio ad Serm. Lib. I. IV. v. 20.

Uſque laborantis, dum ferrum molliat ignis.

Vix a me, ais, *impetrare poſſum, ut hoc ipſo in loco, quo Lucilianos verſus ceu ſcabros & impolitos taxat Noſter, in eandem culpam, quam in illo exagitat, ipſum incidiſſe credam. Vide enim quam durum exit, & quanto labiorum conatu*

Uſque laborantis, dum ferrum molliat ignis.

Quanto autem mollius leniuſque fluit, literula interjecta?

Uſque laborantis, dum ferrum emolliat ignis.

Non hoc ipſum quod Horatius in Lucilio reprehendit te docere debuit, ipſum auribus inſervire debuiſſe? quod & ei curae fuiſſe, emendationes ſupra allatae facile demonſtrabunt. Quarum nullam quidem ab ullo libro accepi, quamquam poſtea earum nonnullas librorum, quibus tu in praefatione te uſum eſſe dicis, teſtimonio firmari deprehendi. Verborum autem ordinem in omnibus illis locis optimis ſubnixus obſervationibus mutavi, ad quas omnes animo unice attento Horatium ſaepius, Virgilium bis, Catullum, Tibullum, Propertium, Ovidium, & Claudianum ſemel evolvi. Sed ut ad hunc verſum redeam, Figura orationis, de qua infra ſcribam, veram ejus lectionem veluti digito mihi monſtravit, & ante quidem quam Notam tuam hic legiſſem, Sic enim emendaveram:

Uſ-

Digitized by Google

Uſque laborantis, ferrum dum *molliat ignis.*

nam arbitrabar Horatium follium laborantium mugitum illa verborum collocatione mirifice expreſſiſſe. Nonne illud *rum dum*, & *M* in verbo *molliat*, quam mugientem literam Quinctilianus vocat, efficiunt, ut res non tam narrari, quam mugiens ille follium ſtrepitus audiri videatur? Ex quo facile intelligitur hoc a te inſcitiſſime ſcriptum. *Codex Leidenſis, ferrum dum: quod etiam vulgato aſperius & horridius eſt: & propterea ut verſus lenius fluat* Emolliat *legendum.* Illud hic in tranſcurſu ex te quaero, leniterne fluat admirabilis ille Virgilii verſus?

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.

Hujus profecto verſus numeros odioſiſſime eſſe compoſitos quivis ſentiat; at ſi eos tanquam picturam quandam & imaginem immanis Polyphemi intueamur, eximios eſſe & pulcherrimos nemo non judicabit.

Tertio pugnant cum ſententia tua ſupra allata, quae habes ad Serm. I. 10. v. 32.

Verſiculos, vetuit me tali *voce Quirinus*

Commodius, ais, *codex Collegii Trinitatis haec verba collocat*:

Verſiculos, vetuit tali *me voce Quirinus*

(Equidem paullo melius, ni fallor, hujus verſus verba ſupra collocavi,

Verſiculos; tali vetuit me *voce Quirinus*)

Quid? hic *tali me* praetuliſti alteri lectioni *me tali?* cum Serm. I. X. v. 49. *cum multa laude*

I 5 alte-

Digitized by Google

alteri lectioni *multa cum laude* praetuleris? Sed hic *tali me* recte in contextum recepiſti, quoniam hic verborum ordo auribus gratior eſt, eaque gratia caeſurae ſuavitati debetur; & propterea lectio *multa cum laude* alteri propter eandem caeſurae venuſtatem anteponenda eſt.

Quarto cum ſupra allatis pugnant, quae habes ad Serm. II. III. v. 211.

Ajax immeritos dum occidit, deſipit, agnos:

Aliter, inquis, *verba ordinantur, cum in Cruquianis, tum in noſtris, Zulichemiano, Magdalenenſi, & Regiae Societatis.*

Ajax cum immeritos occidit, deſipit, agnos:

Quod altero concinnius cultiuſque exire, qui aures habet, facile ſentiet.

Poſtremo tecum pugnas in Nota ad Epiſt. I. XX. v. 8.

In breve te cogi cum plenus languet amator

Codex, ais, *Berſmanni*, cum languet plenus amator; *alter e Collegio Trinitatis*, plenus cum languet amator; *quod ut rotundius & numeroſius admittendum puto.* At haec lectio non aliam ob cauſam numeroſior eſt, quam quod poſt tertium pedem remanet ſyllaba; hinc enim, id eſt, e caeſura ordo verborum concinnior exurgit: quam ob rem lectio *multa cum laude*, cum eandem verſui concinnitatem adferat, quin vera ſit, dubitari non poteſt. Illud hic adjicere non verear, me non dubitare, quin has lectiones *tali me voce*, *plenus cum languet*, curam & attentionem meam effugere non potuiſſe tute ipſe judices: hoc enim judicium

cium locupletiſſimi teſtes triginta plus minus loci a me ſupra emendati tibi vel invito extorquebunt; cum obſervatio, quae in omnibus illis ordinem verborum mutari praecepit, eadem in his quoque duobus ſimiliter ordinem mutari praecipiat. Sequitur ut locos Horatii a me ſupra relatos, quibus lectionem *cum multa laude* comprobare contendis, diſcutiam. Horum primus eſt,

Vincula cum magno *riſuque jocoque videres.*

At tantum abeſt, ut hujus verſus numeri inornatam ſimplicitatem, quam amare dicis Horatium oſtendant, ut tui V. Cl. ſimplicitatem, ut ita loquar, judicii de numeris Horatianis inſigniter oſtendant; quoniam aptiſſimis eum conſtare numeris & aures vel parum eruditae ſentiant, &c, quod de numeris Poëticis viri docti tradiderunt, confirmat: ad hunc enim modum, quod te non ignorare puto, loquuntur. Ea collocatio pedum ſuavis eſt, in qua unum ſolum vox integra conſtituit, ut in verſu modo allato, ea ſuaviſſima in qua ne vel unum vox integra conſtituit, ut in illo Virgilii,

Sylveſtrem tenui Muſam meditaris avena.

iidem e contrario docent verſum, in quo ſingula verba ſingulos pedes conſtituunt, eſſe inſuaviſſimum, qualis eſt hic;

Urbem fortem nuper cepit fortior hoſtis.

I 6 Illud

Digitized by Google

Illud quoque recte monent, verſum, qui caeſura poſt ſecundum pedem deficitur, eſſe duriſſimum, qualis eſt ille Lucretii.

Et jam caetera mortales quae ſuadet adire.

Hoc autem; quod cæſuram poſt ſecundum pedem ſine culpa non omitti ſcribunt, non uſquequaque verum eſt. Defectus enim caeſurae ad rem ſub aſpectum oculorum ſubjiciendam mirum in modum nonnunquam valet, ut in illo Virgilii Georg. II. v. 61.

Scilicet omnibus eſt labor impendendus, & omnes

Ubi Poëta non, ut omnes fere putant, varietatis cauſa caeſuram neglexit, ſed ut ipſis numeris graves Agricolarum labores repraeſentaret. Hic enim caeſurae defectus efficit, ut verſus quaſi titubet, & cum Agricola ſtrenue laborante ipſe ita laboret, ut apte incedere non valeat. Neque varietatem quaeſivit in illo Aen. III. v. 697.

Juſſi numina magna loci veneramur: & inde

Nam, ut in quibuſdam libris ſed non optimae notae legitur, potuiſſet ſalva caeſura, quam vocant Pentemimerin, verba ſic diſponere

Numina magna loci juſſi veneramur:

At haec verborum collocatio Interpolatorem omnino redolet; altera non item: quod argumento eſt hic Virgilium ex induſtria Pentemimerin neglexiſſe: idque ab eo prudentiſſime factum eſt: quoniam verſûs lenis & aequabilis curſus ad religioſiſſimum officium expri-

men-

Digitized by Google

mendum non erat accommodatus, ſed gravis & quaſi interruptus.

Nunc quia apud Horatium plures inveniuntur verſus, qui caeſurae gratia carent, ex iis adſcribam duos qui eo vitio videntur laborare. Serm. Lib. I. VI. v. 47.

Nunc, *quia* ſum tibi, *Maecenas*, *convictor*; *at olim*,

Hic verſus in uno ſolo codice eoque recenti ſic legitur:

Nunc, *quia*, Maecenas, tibi ſim *convictor*; *at olim*,

Tu vero aliorum exemplarium lectionem recte in contextum recepiſti: ſed caſu, nam ſi conſilio & ratione id feciſſes, non addidiſſes: *Nos faſtidioſis auribus valere juſſis*, *ipſa ſimplicitate compoſitionis capimur*. Quid? putas Horatium caeſura neglecta, numeros valde inconcinnos longe concinnioribus, quos etiam alia verborum collocatio ipſi offerebat, ideo voluiſſe praeferre, quod ſimplicitas compoſitionis eſſet res laudabilis? Quid? eumne, qui malam compoſitionem Lucilii vehementer perſtrinxerit. Serm. Lib. I. X. vv. 1. 2. 3.

Nempe incompoſito dixi pede currere verſus
Lucili. quis tam Lucili fautor inepte eſt,
Ut non hoc fateatur?

eumne, inquam, qui ita ſcripſerit, ob tam levem cauſam, qualis eſt ſtructurae ſimplicitas, Lucilii vitium non vitare decuit? Sed Horatium hoc crimine abſolvere non eſt perarduum. Conqueritur hic Noſter de invidis atque obtrectatoribus, qui in omni loco praedicabant ipſum non ſolum tribunatum caſu & for-

fortuna non ullis ſuis meritis, verum etiam Maecenatis amicitiam conſecutum eſſe: cum autem Poëtae conquerenti & de maledicorum hominum iniquitate dolenti non hilares numeri, non pedes apte colligati, ſed numeri triſtes & pedes quaſi diſſoluti convenirent, nonne praeſtabat concinnitatem, quam alia verborum collocatio verſui offerebat, repudiari, & ita animi affectum exprimi, ut ipſi verſus numeri una cum Auctore ſuo dolere viderentur? Huic loco non abſimilis eſt ille. Art. Poët. v. 98.

Si curat cor ſpectantis tetigiſſe querela,

Sic habent omnes Mſſti. & editiones. Piſcatoris editione demta, in qua verſus ſic ordinatur:

Si cor ſpectantis curat *tetigiſſe querela*.

hanc autem verborum diſpoſitionem ideo ſibi probari ait, *quod vulgata ſit inconcinna*, & hoc ſane veriſſimum eſt. Sed Piſcatorem fugit ratio, propter quam vulgata diſpoſitio praeferenda ſit, quae eſt ea ipſa, quam ad verſum *Nunc quia ſum ti bi* modo adtulimus.

Nunc aliud exemplum, quo *cum multa laude* legendum eſſe evincere conaris, adponam. Serm. Lib. II. VII. v. 35.

Audit? cum magno *blateras clamore, fugiſque.*

Ineptiſſime te hoc loco ad lectionem, quae tibi placuit, fulciendam uti illud evidentiſſime demonſtrat, quod in *cum magno* hic caeſura extat, illid non extat: deinde quod, ut hic verborum ordo *cum magno* pro te faciat, ſimilitudinis ratio

tio poſtulat hunc verſum poſſe etiam hoc ordine legi,

Audit & blateras magno cum *clamore, fugiſque*

qua verborum collocatione metri legem violari adeo manifeſtum eſt, ut oſtendi non debeat. Itaque ad aliud, quod adfers, exemplum procedo. Art. Poët. v. 260.

In ſcenam miſſus cum magno *pondere verſus*,

cum magno pondere *ex omnibus*, inquis, *ſcriptis & noſtris & Berſmanni adſcivimus.* At Pulmanniani omnes & editio Loſcheri, quam in praefatione ex MSſtis Germanicis expreſſam eſſe dicis, veteres quoque editiones Italicae fere omnes ſic habent *magno cum pondere*, quam ſcripturam eſſe veram, partim quod paullo ſuperius pro illa lectione *multa cum laude* firmanda adduxi, partim quod ſtatim adducam, dubitare nos non ſinunt. Praeterea Cicero Arat. v. 132. eodem ordine haec verba collocavit.

Obvertunt navem magno cum pondere *nautae*:

quem locum ex Turnebo Pulmannus protulit. Nunc quartum exemplum a te poſitum ſubjiciam. Serm. II. III. v. 112.

Projectus vigilet cum longo fuſte; *neque illinc*

Ita quidem in omnibus ſcriptis & impreſſis legitur. Verum ſine ulla dubitatione *longo cum fuſte* reponendum eſſe adfirmo, tribus rationibus adductus; una, quae cauſam verborum ordinem mutandi oſtendit, & eſt haec. Interpolator hic exiſtimavit naturalem verborum ordinem poſcere, ut praepoſitio *cum* ante ver-

bum

bum *longo* poneretur: Correctoribus autem familiare eſſe hanc ob cauſam verborum collocationem mutare, variae lectiones quae in Horatii & Virgilii codicibus, ut eas, quae in aliorum Auctorum libris extant, omittam, inveniuntur, abunde comprobant. Quae obſervatio nonnullaeque aliae non ſolum ad verborum ordinem ſuum Poëtis, ſed & aliis fere quibuſcunque Scriptoribus reſtituendum plurimum valet, quamquam perpauci Critici huic artis parti curam impenderint. Altera ratio quae, ut *longo cum fuſte* legam, me movet, eſt ea, quam modo adduxi, numerorum ſcilicet concinnitas. Tertia denique ratio, quae me, ut ita verba collocem, impellit, eſt uſus optimorum quorumcumque Poëtarum. Nunc exempla ſubjiciam, quae ad has lectiones, *multa cum laude*, *magno cum pondere*, *longo cum fuſte* communiendas, propter ſummam eorum ſimilitudinem eſſe aptiſſima nemo non fatebitur. Exordiar ab Horatio Serm. I. IV. v. 50.

Filius uxorem grandi cum *dote recuſat*

Art. Poët. v. 375.

Et craſſum unguentum, *&* Sardo cum *melle papaver*

Cicero Arat. v. 242.

Tum multos orbes magno cum *lumine latos*

v. 365.

Poſt mediam labens claro cum *corpore noctem*

v. 466.

Fervidus ille canis toto cum *corpore cedit*

Catull. Epigr. 67.

Inde pedem victor multa cum *laude reflexit.*

Vir-

Digitized by Google

Virgil. Aen. I. v. 55.

Illi indignantes magno cum *murmure montis*

v. 245.

Unde per ora novem vaſto cum *murmure montis*

II. v. 532.

Concidit, *ac* multo vitam cum *ſanguine fudit*

v. 694.

Stella facem ducens multa cum *luce cucurrit*

III. v. 49.

Hunc Polydorum auri quondam cum *pondere* magnò

Ubi forte melius ſic,

Magno cum pondere quondam

V. v. 289.

Circus erat, *quo ſe* multis cum *millibus heros*

v. 368.

Nec mora, *continuo* vaſtis cum *viribus effert*

VI. v. 645.

Nec non Threïcius longa cum *veſte ſacerdos*

Tib. Lib. II. Eleg. I. v. 13.

Caſta placent ſuperis. pura cum *veſte venite*

Propert. Lib. III. Eleg. XVI. 7.

At nunc inviſae magno cum *crimine Bajae*

Ovid. Pont, Lib. III. I. v. 81.

Redditur illa quidem grandi cum *foenore nobis*

Lucan. Lib. IV. v. 564.

Haud trepidante tamen toto cum *pondere dextra*

Juvenal. V. v. 78.

Eſquilias, *fremeret* ſaeva cum *grandine vernus*

VII. v. 110.

Qui venit ad dubium grandi cum *codice nomen*

Quem verborum ordinem & aliis Poëtis tum antiquis tum recentibus placuiſſe nequaquam

K dubi-

dubitaverim. Haec autem via, quam in exemplis ad has lectiones *multa cum laude*, *longo cum fuſte*, *magno cum pondere*, muniendas adducendis tenui, te, uti ſpero, quomodo iis uti conveniat, perfecte docebit; ſummam enim inter hos, quos adduxi locos, & illos Horatii intereſſe ſimilitudinem nullo labore perſpicias. Quoniam autem eadem ſimilitudo non conſpicitur in verſu 6 Serm. Lib. I. IV, eum non adtuli,

Famoſus; multa cum *libertate notabant*.

Poſſet enim dici, ideo *cum* poſt verbum *multa* poſitum eſſe, quod ante *multa* abſque damno caeſurae poſt ſecundum pedem, poni non poterat; quam tamen poſt eum pedem numerorum ratio poni debuiſſe neceſſario poſtulat: nam caeſurae defectu poſt tertium pedem numeri non efficiuntur inconcinni. Illic enim caeſura adhibita aliquid concinnitatis numeris tantum adjicit. Eadem quoque motus ratione verſum 246. Lib. II. Epiſt. I. non adduxi,

Munera, *quae multa* dantis cum *laude tulere*.

ubi, ſi *cum* praeponeretur voci *multa*, verſus caeſura poſt ſecundum pedem ſimiliter defraudaretur. Supereſt ut Notam tuam ad v. 260. Art. Poët. adſcribam. *Minus ſcite cum magno pondere*, *inquit Berſmanus*, quem tu his verbis caſtigas. *Non advertit ſcilicet*, inquis, *Noſtrum & alias ſic ſolere (vide Serm. I. X. v. 49.) & hic Venerem quandam in ipſa pronuntiatione ſtudio quaeſitam eſſe:* cum magno pon-

Digitized by Google

pondere; *quae dum profers, ipſum illud pondus & lente ambulantes ſpondeos voce & ſpiritu perſentiſcis.*

Spondeis tarditatem, pondus, magnitudinem, majeſtatem & alia ſimilia optime repraeſentari nemo ignorat. Illud non ita vulgo notum, caeſuras ad tarditatem, pondus & ſimilia exprimenda eſſe accommodatas. Propterea quod, ut ſcribit Quinctilianus Inſt. Orat. Lib. IX. c. 4. *eſt quoddam in ipſa diviſione latens tempus, ut in pentametri medio ſpondeo, qui niſi alterius fine, alterius initio conſtet, verſum non efficit.* Idem, eodem cap. *Neque enim ego ignoro in fine pro longa accipi brevem, quod videtur aliquid vacantis temporis ex eo, quod inſequitur accedere.* Et hac de cauſa caeſurae brevem producendi poteſtas tributa eſt. Caeſuris autem Virgilium ad tarditatem repraeſentandam ſaepe uſum eſſe multi loci apud eum docent, duos in praeſenti adſcribam. Aen. VII. v. 634.

Aut le | ves ocre | as len | to du | cunt ar | gento

ubi Poëta quinque ſpondeos & quinque caeſuras ad moram augendam adhibuit. Item Aen. VIII. v. 452.

Illi in | ter ſe | ſe mul | ta vi brachia tollunt.

Hic animadvertendum Poëtam verborum *multa vi* ordinem caeſurae cauſa elegiſſe, neque enim metri ratio alterum ordinem *vi multa* reſpuebat. Quamobrem in verſu 260. Art. Poët. omnino legendum *magno cum pondere*, ubi caeſura aliquid temporis verſui adjiciendo

Digitized by Google

pronuntiationem remoratur, & ita aptius exprimitur pondus ſpondeorum, quorum frequentiam in veterum Poëtarum trimetris Horatius hoc loco damnat. Jam ſi *cum magno pondere* legas, moram & veluti pondus, caeſurae virtute ſublata, totum adimas; adeoque pronuntiationem minus difficilem &, ut ita dicam, ponderoſam efficias. Denique illud lectionem *cum magno pondere* ab Interpolatore profectam eſſe oſtendit, quod ea naturalem verborum ordinem, praepoſitionem *cum* ante *magno* collocando, revocat: contra lectio *magno cum pondere* hoc ipſo quod a naturali verborum ordine diſcedat, Interpolatorem non reſipit: & in hac re, quin ordo, qui ab Interpolatorum conſuetudine alienior eſt, probari debeat, ambigi non poteſt. Ultimum denique exemplum quod adfers, eſt e Plinii Epiſt. VII. 9. *Multos videmus ejuſmodi certamina ſibi* cum multa *laude ſumſiſſe*. At Caeſar de B. Gall. Lib. V. c. 43. *Atque ambo incolumes, compluribus interfectis*, ſumma cum *laude ſeſe intra munitiones recipiunt*. Idem Lib. III. c. 23. *Quorum adventu* magna cum *auctoritate*, *&* magna cum *hominum multitudine bellum gerere conantur*, ubi quidam Libri habent *magna* hominum cum *multitudine*. Sed parum bene. Nam & hic ordo *hominum cum* eſt inſuavis, & melius eſt *cum* a verbo *hominum*, quod ab aſpiratione incipit, quam verbum *magna* ab *hominum* excipi. Idem Lib. IV. c. 1. *Magna cum multitudine hominum, flu-*

Digitized by Google

flumen Rhenum tranſierunt. Ubi forte melius hoc ordine, *cum hominum multitudine*, *flumen &c.* contra idem Caeſar alibi poſuit *cum tanta multitudine.* Ceterum in oratione numeris ſoluta, alias adjectivum praepoſitionem *cum* praecedere debet, alias eam conſequi; quod ex varia verborum qualitate, & junctura, utrum fieri deceat, optime dignoſcitur: quod autem ad Plinii locum attinet, exiſtimo verba aptiſſime eſſe coagmentata (fuit enim & in Epiſtolis numerorum diligens) idque & aures eruditae probabunt, & quaedam obſervationes, quid numeroſam faciat orationem intelligenti non incognitae, facile oſtendent. Sed tempus eſt, ut ad Aſyndeton, unde degreſſi ſumus, revertamur. Carm. III. 27. v. 22.

Orientis Auſtri, &

Cum oratio diſſoluta imprecationibus conveniat, copulam *&* poſt *Auſtri* haec figura delendam eſſe ſuadet, quam ab optimo Pulmanniano abeſſe poſtea deprehendi. Item v. 23.

Aequoris nigri fremitum & trementis

eadem figura ob eandem rationem hic *&* abundare declarat, quod, inſcitus Interpolator *&* addi debere putans, inepte adjecit. Praeterea, hac particula ſublata, verba *fremitum trementis* efficiunt ut ipſe maris fremitus aures videatur ferire. Eod. Carm. vv. 46. 47.

Dedat iratae lacerare ferro, &

Frangere enitar

Articulum ET ejicio, quia vehementiſſimam Europes iram ac furorem minuere & quaſi

 fran-

Digitized by Google

frangere videtur. Adde, quod, cum virginitatem ab infami Tauro ſibi ereptam deploraret, LACERARE verbum mitius ſibi videbatur, *Frangere*, quod eſt longe aſperius, tanquam ſe corrigens ſubjecit.

Idem Carm. IV. XIII. v. 17.

Quo fugit Venus? heu! quove color? decens

illud VE Interpolator, quod Aſyndeti virtutem ignoravit, imperite intruſit. Ad affectum enim Poëtae exprimendum orationem diſſolute currentem omnino valere nemo non intelligat. Quare locum ſic, ut ſupra emendavi, legendum arbitror;

Quo fugit Venus? heu! quo *color?* heu! *decens*

Adde quod *heu* geminatum vim ſententiae adauget.

Item Epod. V. v. 3.

Quid iſte fert tumultus? & quid omnium

Quidam libri habent *aut quid:* ſed utraque particula delenda eſt: neutra enim graviſſimam pueri iram exprimit: verum utravis addita eam moderatur. Quare legendum *ecquid*, & ita habent Editiones Aſcenſianae.

Item Epod. VII. v. 1.

Quo? quo ſceleſti ruitis? & cur *dexteris.*

& cur habent ſcripti & impreſſi. Verum omnino legendum *ecquid*; copula enim *&* concitatum indignationis motum comprimit. Illud autem *cur* ex interpretatione locum vocis *quid* occupavit. De quo gloſſemate vide Notas.

Item

Digitized by Google

Item Epod. XVII. v. 36.

Quae finis? aut quod *me manet ſtipendium*?

Aliter *&* *quod*; ſed haec figura *ecquod* legi praecipit: ubi & pro *ſtipendium* forte *ſtipendii* legendum.

Item Epiſt. I. V. v. 14.

Adſidet, *inſano. potare* & *ſpargere flores*

Hic copulam addidit Interpolator, quod ignoravit, laetitiam, oratione conjunctionis vinculo non aſtricta apte exprimi: illud quoque ei copulam inſerendi cauſam praebuit, quod *re* in *potare* vi duarum conſonantium *ſp* in *ſpargere* produci neſciit.

Item Epiſt. I. VII. v. 53.

Accipiebat) *abi*, *quaere* & *refer*: *unde domo*, *qui*,

Hic quoque duplex interpolandi cauſa; una, ignoratio dimenſionis ſyllabae *re* in *quaere*, quae virtute caeſurae producitur, altera, ignoratio figurae in qua verſamur. Quare *&* tollendum eſt; quod in uno vetere Berſmani non extare poſtea didici: hanc enim emendationem & alias omnes haec figura mihi ſuggeſſit. Ibid. v. 55. *It*, *redit*, *&* *narrat*. Et huic loco diſſoluta oratio convenit. Itaque *enarrat* repono: quia verbum *enarrat*, id eſt *accurate narrat*, Demetrii ingenium plenius exponit quam ſimplex *narrat*.

Nunc ad Polyſyndeton ttanſeundum. Carm. IV. 5. v. 13. *Votiſque* haec figura legi praecipit. Idque tenerrimus matris affectus poſtulat. Item Serm. I. 2. vv. 65. 66.

Digitized by Google

poenas dedit uſque ſuperque
Quam ſatis eſt; *pugnis caeſus, ferroque petitus,*
Lego *quam ſatis*, *& pugnis*, *Et* enim additum ad dolorem exprimendum aptum eſt. Illud autem *eſt* non ſolum commode poteſt abeſſe, ſed & parum commode adjicitur, cum verbum *dedit* praeceſſerit. Quod ſi *&* in *eſt* mutandi cauſam quaeris; Corrector conjunctionem abundare exiſtimans, in locum *&*, *eſt* ſubſtituit. Item Serm. II. 3. v. 288.

Juppiter, ingentis qui das adimiſque dolores
daſque Interpolatorum conſuetudo, & figura quae conjunctiones ad amplificandam orationem multiplicat legendum demonſtrant. Illud in tranſitu addo *dolores* e gloſſemate in contextum irrepſiſſe, pro quo *labores* reponendum. Item Epiſt. I. 13. v. 17. iiſdem rationibus adductus *oculoſque* melius legi arbitror. Neque dubitem, quin apud Virgilium Aen. VIII. v. 152. pro *os*, *oſque* reponi debeat. Et apud Ovidium Heroid. VI. v. 70. haec figura pro *ora*, *oſque* legendum indicat, quod V. Cl. Nic. Heinſius e melioribus libris merito in contextum induxit. Item Epiſt. I. 14. v. 8. lego *menſque animuſque*, conjunctio enim geminata ad vehementiam adfectus ſignificandam accommodatior eſt. Similiter Epiſt. II. 1. v. 97.

Suſpendit picta vultum mentemque tabella:

Haec figura me admonuit ut legerem *vultumque animumque*; conjunctionem autem *que* Corrector

Digitized by Google

rector delevit, quia verbum, quod *que* cum *vultum* connecteret, nullum praeceſſit: eo autem deleto, *animum* in *mentem* mutari oportuit. Ibid. vv. 227. 228.

Commodus ultro
Arceſſas, & egere vetes, & ſcribere cogas.

Poſt *ultro* particulam *&* addi debere quicunque & Polyſyndeti virtutem & Interpolatorum morem tenuerit, ſine ulla haeſitatione pronuntiarit. Item v. 249. lego *moreſ*que *animique*, & Epiſt. II. 2. v. 183. omnino legendum:

Cur alter fratrum & *ceſſare, & ludere, & ungui*

Nunc ad figuram quae, ut veteres Horatii Commentatores docent, Speciem pro Genere ponit, accedo. Hac quoque Virgilium uſum eſſe Servius ad Georg. I. v. 8.

Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta,

Et modo ſpeciem pro genere poſuit, non enim in Epiro tantum glandes fuerunt. Et hac ſane figura magnopere delectari Horatium loci perplurimi declarant. Ejus autem virtus haec eſt, ut, quotidiano loquendi genere contemto, occultius adhibeat, atque ita non vulgarem orationi elegantiam adferat. Ea uſus eſt in primo Carmine libri primi *Attalicis conditionibus*, hoc eſt, ampliſſimis. *Libycis areis*, ubi Acron *ſpecies pro genere. trabe Cypria*, ubi idem *pro quacunque navi. Myrtoum mare*, id eſt periculoſiſſimum, quod mercator dum metuit, *oppidi laudat rura ſui.* Ubi eleganter ſpeciem loco generis poſuit.; *rura* enim pro loco tutiſ-

ſimo & maxime tranquillo adſumſit & mari, loco maxime periculoſo oppoſuit. Quae elegantia Acidalii correctione legentis *tuta* pro *rura* tota deperit. Eam tamen tu his verbis probas. *Nam, ut ferri poſſit recepta lectio, tamen aptior venuſtiorque eſt oppoſitio, hinc* metuens, *illinc* tuta. Immo multo venuſtius, hac adhibita figura, rura ſui oppidi Myrtoo mari oppoſuit, neque minus ferenda eſt haec emendatio, quam illae quae reponerent *magnificis* pro *Attalicis*, *ſaevis anguibus*, pro *Mauris*, & hujuſmodi aliae. Denique *rura oppidi ſui* recte dici ex Frontini libello de Coloniis facile diſci potuit, in quo habetur *Ardea oppidum: Ager ejus*, & loci huic ſimiles ſexcenti: quod ſi *ager oppidi* recte dicitur, & *rura oppidi* recte dici quis neget? Sed de hoc loco vide Notas in Horatium. Item hac figura quoque uſus eſt Carm. Lib. I. XXV. v. 20.

Dedicet Euro

Ex qua intelligitur argumentum, quo vulgatam lectionem *dedicet Hebro* corruptam eſſe demonſtrare conatus es, eſſe prorſus infirmum. Eſt autem hoc. *Sed utcumque hoc habeat, qui quaeſo convenit, ut juventus Romae degens Hebro, qui longe longeque abeſt, folia dedicet?* atqui haec figura oſtendit verbum *Hebro* poſitum pro fluvio quocunque frigido; ut juventuti Romanae aridas frondes dedicandi cauſa Hebrus adeundus non fuerit. Item haec figura lectionem *pavimentum ſuperbum* Carm. Lib. II. 14. v. 27 firmat.

Tin-

Digitized by Google

Tinguet pavimentum ſuperbum
Pontificum potiore cœnis.

Superbum primus in contextum e priſcis quibuſdam libris Lambinus induxit, & ita legit Porphyrio. Plerique libri habent *ſuperbo*, quod Interpolator commentus eſt, ut conveniret cum *mero*, & ad hunc locum tu V. Cl. ſic ſcribis: *neque tamen damnamus lectionem in pleriſque omnibus libris receptam mero ſuperbo.* Atqui haec figura eam damnat: his enim verbis *Pontificum potiore coenis* ſpeciem pro genere Horatius poſuit; hoc eſt ſuperbiſſimo: & hic tu tecum pugnare videris, nam haec adjicis, *illud magis diſplicet*, *quod*, cum ſuperbo mero *dixiſſet*, *ſtatim alterum epitheton ſubdidit*, *eandem rem bis inculcans Pontificum potiore coenis.* Quae verba lectionem *mero ſuperbo*, quam tu dicis te non damnare, omnino damnant. Illud à te omiſſum, quod ſpeciem aliquam videtur habere, pro *ſuperbo*, *ſuperbum*, legendum *ſuperbis*: verum coenae Pontificum hoc ſignificant, erant enim apparatiſſimae. *Quod* autem *Dacerius*, ais, *adnotavit*, *eadem terminatio toties recurrens* pavimentum ſuperbum Pontificum *ingratiſſimum ſonum efficit*, *qualem ſtudioſe vitare ſolet Noſter*; *illud fortaſſe vitio huic mederi poteſt ſi olim legerint aut pronuntiarint* ſuperbom. *Certe poſt conſonantem* v *non* um *ſed* om *proferebant aetate Auguſti*, aevom, divom, calvom, &c. *ut cum ex monumentis ejus aevi*, *tum ex vetuſtis Virgilii & Horatii codicibus conſtat.* *Eſto itaque* ſuperbom *quaſi* ſuper-

Digitized by Google

pervom: nam in *Virgilii Ecl. II atque* ſuperba *pati faſtidia*, *codex antiquiſſimus Romanus habet* ſuperva *teſte Pierio.* Atqui *ſuperbom* temporibus Horatii non ſolitum ſcribi ut *aevom* ex Quinctiliano conſtat, ſic enim ille Inſt. Orat. Lib. I. c. 7. *Noſtri praeceptores cervum ſervum*que, ita legendum non *cervom ſervom*que, u *&* o *literis ſcripſerunt*, *quia ſubjecta ſibi vocalis in unum ſonum coaleſcere*, *& confundi nequiret: nunc* u *gemina ſcribuntur.* Similiter Chariſius, Putſch. Grammatt. vett. col. 57. *ſeruus*, *ceruus*, *vulgus a quibuſdam per* u *&* o (ſcribuntur,) *videlicet*, *quia duae vocales*, *ut unam ſyllabam faciant*, *non poſſunt: ſed per* duo u *ſcribi debent*, *quia & ſic ſonant*, *& ambiguitas caſuum tollitur*, *&* *unum* u *loco conſonantis accipitur.* Jam in voce *ſuperbum*, cum duo *u* non inveniantur, *u* in *o* vertendi cauſa non fuit. Praeterea Scaurus & Victorinus apud Putſchium col. 2252, & col. 2454. tradunt literas *b* & *p* vocis ſono ſibi eſſe proximas; & Quinctilianus Inſt. Orat. l. I. c. 7. *Quaeri ſolet in ſcribendo praepoſitiones ſonum*, *quem junctae efficiunt*, *an quem ſeparatae*, *obſervare conveniat*, *ut cum dico* obtinuit. *Secundam enim* b *literam ratio poſcit*, *aures magis audiunt* p; literas autem *b* & *u* ſono inter ſe cognatas eſſe nemo, quod ſciam, tradidit. Neque vero me fallit Graecos Librarios, quia *b* & *u* eodem ſono efferebant, *b* loco *u* & viciſſim *u* loco *b* in Latinis libris deſcribendis crebro poſuiſſe. Quibus vitiis

Digitized by Google

vitiis Florentinus Pandectarum codex, nec non Gloſſarium Latino-Graecum & Graeco-Latinum, Taurellio & H. Stephano teſtibus, miſere laborant: in Florentino quidem codice ille plurima hoc genus menda indicavit, multa tamen illius diligentiam effugerunt. Hic autem in Praefatione ad Gloſſarium in utroque lexico has literas paſſim permutari monuit. Verum hanc permutationem Graeco Librario, quod miror, aſſignandam eſſe non animadvertit. Sed ut ad Romanum codicem redeam; Pierius ad Aen. X. v. 205. *Quos Patre Benaco; in Romano codice Venaco more ſuo ſcriptum eſt per* v digamma. Quod autem ibidem adjicit de Adamantii Martyrii regula ac de inſcriptionibus quae *v* pro *b* habent, ei ſcrupulum injeciſſe videtur, an Romani codicis more, an vero eo, qui ſuis temporibus obtinebat, ſcribi conveniret. Idem tamen ad Virgil. Ecl. II. v. 15. monet Adamantium *ſuperbus* per *b* ſcribi jubere. *Nimirum*, inquit, *viderat Adamantius, & ſuperva & alia hujuſmodi ex uſu pronuntiationis*, quae temporibus illis *maxime vigebat, ſcriptitari; Graecitate jam ab Imperii tranſlatione in univerſam Italiam illapſa: nam inde pronuntiationem ejuſmodi proceſſiſſe negarit nemo, qui vel prima Graecarum literarum elementa perceperit.* Et ibidem tradit Campaniam omnem, & Bruttiorum populos, totamque Italiae partem, quae Graeciam verſus vergit, *v* pro *b* enuntiare. Adde, quod multis monumentis, in quibus *v* pro *b* extat,

Digitized by Google

a Graecis marmorariis literae inciſae ſunt.

Deinde quod ſcribis, *Barthium, ſi quid mutandum, malle* ſuperbus *quam cum Lambino ſuperbum*, perinde ineptum eſt, ac ſi apud Horatium Serm. II. VI. v. 87. pro *dente ſuperbo* reponere quis vellet *ſuperbus*. Et quod addis: *Quo etiam ducit nos Scholiaſtes Porphyrio: ſuperbo. Hypallage, pro ipſe ſuperbus.* Immo haec Scholiaſtae Nota nos a lectione *ſuperbus* abducit. Qui enim ſcribit hoc per Hypallagen dictum, in ſuis codicibus non invenit *ſuperbus* ſed *ſuperbum*: ſic enim apud Porphyrionem legi debet, non *ſuperbo*. Illud quoque inſcite adjicis, *atque hoc pacto, culpa quidem omni liberaveris Horatium: ſed audacis epitheti laude eadem opera privaveris.* Immo hoc epitheto nihil eſt vulgatius, nihil eſt tritius; veluti *aedes ſuperbae*, *tecta ſuperba*, & apud Horatium, *Faſces ſuperbos*, *poſtibus ſuperbis*, *limina ſuperba*, *corpus ſuperbum*, *dente ſuperbo*. Et eleganter Martialis, ut alios omittam, Spectacul. II. vv. 7. 8.

Hic, ubi miramur velocia munera thermas,
Abſtulerat miſeris tecta ſuperbus ager.

& Epigramm. III. 2. v. 11.

Et cocco rubeat ſuperbus index.

Nunc ad Homoeoteleuton *pavimentum ſuperbum Pontificum* venio. Cenſeo autem pro *Pontificum*, *Pontificiis* reponi debere, alterumque *i* per Synizezin elidendum, ut in *Diis*, *iiſdem*, *denariis*, cujus rei ignoratione Interpolator, ut verſui ſuccurreret, *Pontificiis* in *Pon-*

Digitized by Google

Pontificum mutavit; ideo vero non in *Pontificis* numero unitatis id vertit, quod plures una coenabant. Huc accedit quod *coenae Pontificiae* melius eſt quam *Pontificum*, ut dapes *Saliares* quam *Saliorum*, & *Pontificales coenae*, quam *Pontificum*, *&* *Jus Pontificale* vel *Pontificium* quam *Pontificum*. Vide Theſaurum L. Lat. Rob. Stephani in *Pontificalis* & *Pontificius*. Et ita legendo, tria illa verba non exeunt ſimiliter. Verum de Homoeotoleuto conſule Notas, in quibus de more Horatiano hac in re accurate ſcripſi & errores tuos redargui. Neque vero neſcius ſum Epiſt. II. I. v. 26. extare *Pontificum libros*. Verum quivis facile perſpiciat ibi *pontificios* duabus de cauſis ab Horatio non debuiſſe poni.

Denique Serm. Lib. II. 8. vv. 94. 95.

Ut nihil omnino guſtaremus; velut illis
Canidia adflaſſet, pejor ſerpentibus Afris.

Ubi ſic ſcribis, *pro ſerpentibus* Afris *Lambini aliquot codices & Noſter Vigornienſis* atris, *quarum lectionum utraque quidem proba eſt*; *ſic enim alibi* Carm. III. X. v. 18.

Nec Mauris animum mitior anguibus.

Tamen neſcio quî altera magis arridet, quippe quam recepit & quodammodo ſacravit optimorum Poëtarum conſuetudo. Noſter ipſe Carm. III. 4.

Ut tuta ab atris *corpore viperis.*

Silius Italicus III. 191.

Ater *letifero ſtridebat vulnere ſerpens.*

Virgil. Georg. I. 224.

Digitized by Google

Nigris *exeſa Chelydris.*

& ibid. v. 129.

Ille malum virus ſerpentibus addidit atris.

& Aen. IV. 472.

Armatam facibus matrem & ſerpentibus atris.

Juvenalis Sat. V. v. 90.

Quod tutos etiam facit a ſerpentibus atris.

Prudentius in Diptycho v. 45.

Fervebat via ſacra eremi ſerpentibus atris.

Ergo rectius, inquis, *credo*, Atris *quam* Afris. *Unde enim Mauri ſerpentes tanto intervallo nocere hic poſſent ſuo halitu.*

Me miſeret V. Cl. tui judicii. Nam illud *atris* quod magis tibi arridet, & elegantiae ſententiae & acrimoniae plurimum detrahit. Quid? non intellexiſti Poëtam ſpeciem pro genere hic ponere, &, ut ſolet, ſpeciem maxime illuſtrem, *ſerpentibus* Afris, id eſt *peſtilentiſſimis*? quare illud *unde enim Mauri &c.* a te ſcriptum eſt inſcitiſſime. Quid? non verſus a te hic allatus

Nec Mauris animum mitior anguibus

te docuit legendum eſſe *Afris?* Illic enim ſpeciem pro genere poſuit. *Mauris anguibus*, id eſt *ſaeviſſimis*. *Saevis anguibus* tanquam abjectius magiſque plebeium elocutionis genus merito contemſit.

Nunc ad Metaphoram progredior, quae figura tres Horatii locos te peſſime emendaſſe demonſtrat. Carm. Lib. I. VI. v. 7.

Nec curſus duplicis *per mare Ulixei,*

Ubi

Digitized by Google

Ubi tu ſic: *ſine dubio Noſter intelligit Argumentum* Odyſſeae; ut & Pelidae ſtomachum *Iliada notat. Recte itaque Odyſſeam vocaveris*, curſus duplicis Ulixei. *Et ſane Graecis* διπλοῦς ἀνὴρ *eſt, qui aliud loquitur aliud ſentit. Nemo tamen Latinorum, excepto ſi forte Noſtro ejuſmodi hominem* DUPLICEM *vocavit. Nam quod Muretus affert ex Catullo Epig. LXIX.*

> *Nam mihi quod dederit* duplex *Amathuſia curam*

aliud plane eſt, & ad duplicem ſexum *referri debet, quia Venus Amathuſia* & mas & femina erat; *ut recte Voſſius ad Catullum, & ante eum Meurſius in Cypro ſua Lib. I. C.* 8. Deinde multis interpoſitis, *experiamur*, ais, *an ex conjectura melius quicquam ſuppeditari poſſit. Et ut mihi quidem videtur*, non magna mutatione non paullo elegantius *aut dixit*, *aut dicere potuit Noſter*,

> *Nec curſus* reducis *per mare Ulixei*

Equidem in illo Catulli verſu verbo *duplicem* non ſignificari *varium*, *verſutum* non diffiteor: neque vero propter eam rem, *duplicem* idem quod *varium* non denotare neceſſario concludas. Nam apte ac verecunde verbum *duplex* ab re inanima, ut alia multa, ad rem anima ac ratione praeditam transfertur. Quid? cum verbum *ſimplex* tranſlate pro *ſincero homine* & quaſi *ſine plica* recte uſurpatum ſit, verbum *duplex* pro inſincero, vario & multis dolis inſtructo recte uſurpari dubitabimus? Atque huc pertinet illud Ciceronis de Amicitia. cap. 18. *Nihil enim ſtabile eſt, quod infidum eſt.* Simpli-

cem *praeterea*, *& communem*, *& conſentientem*, *qui rebus iiſdem moveatur*, *eligi par eſt*, *quae omnia pertinent ad fidelitatem: neque enim fidum poteſt eſſe* multiplex ingenium *&* *tortuoſum*: ubi *multiplex* idem, quod *varium*, valere manifeſtum eſt. Neque ab re erit hic adſcribere Cerdani Notam ad Virgilii Aen. VIII. v. 556.

Vota metu duplicant matres, propiuſque periclo

Duplicant non ſignat, inquit, *duo vota*, *ſed multa*, *id eſt*, *multiplicant*; nam quod *Horat. Od. VI. Lib. I. dixit* duplicis Ulyſſei: *ſic enim legendum*, *non duplices*, *hoc* (*inquam*) Hom. πολύτροπος, & πολύμητις: ut jam *duplex Horatii non ſit* διπλοῦς, ſed πολύτροπος. Ita *Sidon*. Epiſt. 7. Lib. I. Vota facimus, preces, ſupplicationeſque geminamus, *id eſt*, multiplicamus. *cum Propert. Eleg. Lib. I.*

O utinam hybernae duplicentur tempora brumae;

Non tam duplicem brumam optat, quam longam & perpetuam, ut numquam Cynthia navigaret. Cum Eurip. in Rheſo ita opponit,

Φιλῶ λέγειν τἀληθὲς αἰεὶ, ὐκ διπλοῦς πέφυκ᾽ ἀνήρ.

Amo verum ſemper dicere, neque duplex ſum natus,

non tam de duplici capiendus quam de multiplici, quia veritati multa opponuntur. Prudentius Hymn. XII. ΠΕΡΙ ΣΤΕΦ. v. 64.

Mox huc recurrit, duplicatque vota.

Nunc, ne amplius V. Cl. in graviſſimo verſeris errore, diſces, cum de verbi tranſlate ſumpti

Digitized by Google

ſumpti ſignificatione ambigitur, id unum videndum, an apta ſit tranſlatio, id eſt an ea, quae in transferendo obſervari ratio praecipit, obſervata ſint, quia, cum Metaphora, ut recte Cicero Lib. III. de Oratore, ſit *contracta ſimilitudo*, &, ut Quinctilianus Lib. VIII. I: Orat. c. 6. *In totum, Metaphora brevior eſt ſimilitudo, eoque diſtat, quod illa comparatur rei quam volumus exprimere, haec pro ipſa re dicitur. Comparatio eſt, cum dico feciſſe quid hominem* ut leonem; *tranſlatio, cum dico de homine* leo eſt: Quia, inquam, cum tranſlatio ſit *contracta ſimilitudo*, ſimilitudines autem & diſſimilitudines rerum, non auctoritatum ſed rationis momentis ponderentur, nihil ineptius excogitari poteſt, quam ob id, verbum tranſlatum, ut tu V. Cl. ad hunc Horatii verſum facis, improbare, quod unus ſolus Auctor illud per Metaphoram uſurpavit.

Quid? an putas illud *abnutas*, quod in vetere Poëta Cicero Lib. III. de Orat. c. 41. reprehendit, ſi eo verbo in re ſimili mille Scriptores uſi fuiſſent, reprehendi non debuiſſe? Idemque dicendum de tranſlationibus Platonis quas Longinus cap. 32. improbavit. Quid? an putas duplicem illam Virgilii tranſlationem, & utramque ſane admirabilem exemplis confirmari oportere? Aen. IX. v. 773.

Ferrumque armare veneno.

ubi, & *veneno armare*, & *ferrum armare* tranſlatio eſt. Itaque cum tranſlatio ad rationis normam dirigenda ſit;

Digitized by Google

Licuit, ſemperque licebit
A propria in ſimilem transferre vocabula ſedem

Quae autem in verbo transferendo obſervanda ſint, perpaucis complectar: Et primo quidem videndum ne qua ſit diſſimilitudo; deinde ne ſimile longe ductum ſit; tum, ne verbum translatum majus, neve minus ſit, quam proprium & ſuum; denique ne ſit deforme, ſordidum, obſcoenum. Quae praecepta ex ipſis rationis fontibus Ciceronem hauſiſſe conſtat. Jam, ut *multiplex* apud Ciceronem pro *vario* nulla harum praeceptionum ſumi prohibet, ita *duplicis* apud Horatium pro *vario* recte poni res ipſa loquitur.

Nunc ad ſecundam emendationem venio. Serm. I. I. v. 120.

Jam ſatis eſt: ne me Criſpini ſcrinia lippi

Ubi tu ſic. *Ipſe quidem Horatius lippus erat, ut ipſe de ſe confitetur non ſemel. Impudentis ergo hominis & ſtolidi eſſe videatur, imo communi plane ſenſu carentis Criſpinum ob lippitudinem deridere, cum ipſe eodem vitio laboraret..... Neque vero Scholiaſtae veteres vel verbulo indicant lippiiſſe Criſpinum: & tamen ex commentariis veterum non pauca didicerunt, praeſertim circa perſonas, quae hodie aliunde ſcire numquam potuimus. Imo inde ſanis eum fuiſſe oculis recte colligas: quippe Annotator Cruquianus*, non oculorum ratione, ſed mentis, quod inſulſus fuerit Poëta, *lippum hic vocatum memorat: alius vero Gloſſator, cognomen ei* Lippo *fuiſſe inditum. Quae cum abſurda ſint, & otioſorum*

Digitized by Google

ſorum hominum commenta ; tanto magis tamen oſtendunt ab oculorum morbo immunem eum fuiſſe: quod ad has ineptias deſcendere coacti ſint, quo rationem hujus epitheti pravam ſaltem & falſam eruerent. Quid ergo ? mihi nulla quidem dubitatio eſt , quin Auctor ſic ſcripſerit.

Jam ſatis eſt , ne me Criſpini ſcrinia lippum
Compilaſſe putes , verbum non amplius addam.

Tam enim hoc urbane & facete de ſe dixerit, quam de Criſpino ſtolide & inhumane. Hoc ſcilicet Maecenatem dicturum ſibi fingit : Quorſum haec tam putida ? mirum , ni hic lippus Criſpini ſcrinia compilaverit. *Ecquid vero jam videtur ? annon ſordet prae hac noſtra lectio illa vulgata ?* Ego quoque , utpote in re *clara & certa , verbum non amplius addam.* Verum figura, in qua verſamur, *id eſt*, Metaphora vulgatam lectionem *lippi* valide tuetur. Nam quod Annotator Cruquianus ad verbum *lippi* apponit , *non oculorum ratione , ſed mentis*, omnino probandum eſt : apte enim ab oculis ad animum lippitudo transfertur , de quo dubitare nos non ſinit, quod verbo *caecus* tranſlate utamur vel frequentiſſime. Tu tamen V. Cl. & confidenter & inſcite , neque ulla quidem ratione adjecta , tranſlationem hanc *lippi* abſurdam eſſe pronuntias. Atqui ea non ſemel uſus eſt Perſius Horatii perpetuus imitator, Sat. I. v. 79.

Hos pueris monitus patres infundere lippos.

Sat. V. v. 77.

Vappa , & lippus , *& in tenui farragine mendax.*

Digitized by Google

Neque vero Perſii auctoritatem ad hanc tranſlationem firmandam adhibui; nam, ut dixi, nulla ratio impedit, quo minus hoc oculorum vitium ad mentem transferatur; verum ideo eam adhibui quod, cum Perſius ab Horatio multa mutuatus ſit, hoc ipſum ab eo quoque accepiſſe vero ſimile videretur. Argumentum autem, quo *lippum* legendum eſſe pugnas, quam imbecillum ſit, dici non poteſt. *Tam enim*, inquis, *urbane ſe lippum dixerit*, *quam Criſpinum ſtolide. Hoc ſcilicet Maecenatem dicturum ſibi fingit.* Quorſum haec tam putida? mirum, ni hic lippus Criſpini ſcrinia compilaverit. Atqui hoc Horatio objicere, nempe, *tu lippe*, *Criſpini ſcrinia compilaſti*, nihil pungit, nihil habet acuti, nihil falſi; quinimo *lippe* otioſe videtur additum. At illud ei objicere, tu Horati, *lippi*, id eſt inepti Criſpini ſcrinia compilaſti, eſt falſum vel maxime; praeſertim cum Criſpinum ut deridiculum & ſtultiſſimum Stoicum verſibus ſuis depinxerit. Serm. I. III. vv. 138. 139.

> *Rex ibis, neque te quiſquam ſtipator*, ineptum
> *Praeter* Criſpinum, *ſectabitur*;

Adde, quod Horatius cum hunc Sermonem compoſuit, Epicuri ſectam ſine ulla controverſia ſequebatur. Quare nihil ſtultius facere potuit, quam ejus, quem omnium Stoicorum eſſe ſtultiſſimum pronuntiaverat, ſcrinia compilare. Ceterum ab omni furti ſuſpicione longiſſime abeſt Horatius, norat enim Epicureis avaritiam, quam hoc ſermone acerrime

ac

Digitized by Google

ac lepidiſſime caſtigavit, in ſummo eſſe odio. Quod autem de Criſpini ſcriniis compilandis dicit, ridentem, ut alia plurima, dixiſſe eum certiſſimum eſt.

Praeterea *lippi* retinendum eſſe obſervatio quaedam ſubtilior evincit. Etenim, cum Horatius hunc verſum coram Maecenate recitaret citatius, cumque, poſtquam priorem vocis *lippi* ſyllabam pronuntiaſſet, parvulam interponeret moram, ut Patrono ſuo tempus divinandi quid ſequeretur, daret, quid potuit Maecenas, exaudita priore *lippi* ſyllaba exſpectare Horatium ſubjecturum eſſe praeter ſyllabam *pum*; cum lippus eſſet Horatius, Criſpinus non eſſet? Verum Poëta praeter exſpectationem (qui modus in jocis eſt acutiſſimus) extulit *lippi*, eo verbo ab oculis ad mentem tranſlato; quo audito Maecenas deceptum eſſe ſe percepit, ſed cum delectatione; cum enim aliud exſpectatum eſt, natura nos, ut verbis Ciceronis utar, noſter delectat error; ex quo cum quaſi decepti ſumus exſpectatione, ridemus.

Reſtat argumentum criticum, quod *lippum* legendum eſſe quodam modo ſuadeat. Carm. Lib. III. XV. v. 16.

*Nec poti** vetulam *faece tenus cadi.*

Ubi tu ſic. *In editis & ſcriptis legitur*, vetula, vetulam, *& utrumque probum eſt. Rectius tamen* vetulam. *Decet te vetulam abſtinere a conviviis adoleſcentium. Mutarunt Librarii, ut*

Digitized by Google

propiori verbo faece *conveniret.* Idem fere ad verbum *vetulam* adnotavit Baxterus.

Et veriſſimum quidem eſt Interpolatores plurima Virgilii, Horatii, aliorumque cujuſvis generis Scriptorum loca, adjectivo nomine ad propinquius ſubſtantivum referendo, depravaſſe; & idcirco non male dici poſſe, *lippum* a Correctore mutatum in *lippi*, ut viciniori ſubſtantivo conveniret. Sed & verum eſt, in quibuſdam locis Horatii adjectivum ab Interpolatoribus ad longinquius ſubſtantivum inveniri relatum; atque hoc in iis locis factum obſervavi, in quibus adjectivum eo referri res ipſa Correctoribus videretur poſtulare: cauſam autem exiſtimandi rem ipſam hoc expoſcere duobus in locis (quos mox ſubjiciam) praebuit iis verbi tranſlati ignoratio. Nunc ex hac obſervatione manifeſtum eſt *lippi*, quamquam *Criſpini* ſit ſubſtantivum propinquius, non eſſe Interpolatoris, quoniam cum Horatium lippitudine laboraſſe ſciret, Criſpinum autem ea non laboraſſe ſciret, aut certe laboraſſe ignoraret, incredibile eſt, ſi *lippum* in libris ſuis inveniſſet, id in *lippi* eum mutaturum fuiſſe. Quin imo, etſi ſcriptura *lippum* omnium codicum auctoritate ſubnixa eſſet, *lippi* tamen reponi deberet, & dicendum, ideo Correctorem *lippi* in *lippum* mutaſſe, quod ignoravit *lippi* hic tranſlate ſumi; quodque Horatium non Criſpinum lippiiſſe ſcivit. Hinc liquet hunc locum a te male eſſe emendatum, & illud imprudentiſſime adjectum. *Ecquid vero*

jam

Digitized by Google

jam videtur? annon ſordet prae hac noſtra lectio illa vulgata? Ego quoque, utpote in re clara & certa, verbum non amplius addam.

Nunc duos locos, de quibus me dicturum modo promiſi, ſubjiciam. Carm. I. XXVIII. v. 15.

Exitio eſt avidum *mare nautis*:

Quidam libri legunt *avidis*, unus Cruquii *pavidis*. Tu de lectione *avidis* & *avidum* ſic ſcribis. *Utraque ſane lectio bene habet, ſi verſiculum hunc ab oratione abſciſſum, ipſum per ſe conſideres. Quippe* avidi *ſunt mercatores atque* avidum *quoque mare eſt. Quid ergo? nihilne eſt, unde, utra lectio ſit verior dijudicari poterit? Nimirum ex orationis ſerie & ex Apti & Decori ratione colligas, potius* avidum *ab Horatii manu eſſe, quam* avidis. Haec V. Cl. Criticum nequaquam ſapiunt: quamquam enim decori ratio poſtulet *avidum*, quoniam tamen neque hic neque uſquam fere Correctoribus peccandi cauſam decori ignoratio praebuit, illud adjici debuiſſet: ideo Interpolatorem praeter ſolitum hoc adjectivum ad *nautis* remotius ſubſtantivum retuliſſe, quod ignoravit *avidum* hic tranſlate uſurpatum eſſe.

Carm. Lib. III. VIII. vv. 19. 20.

Medus infeſtus ſibi luctuoſis
Diſſidet armis:

Ubi ais, *elegans eſt Nic. Heinſii conjectura, quam in margine exemplaris ſui adnotaverat.*

Medus infeſtis *ſibi* luctuoſus
Diſſidet armis;

Atque ita clare & ſine ulla litura codex noſter Galeanus; cui aliquatenus accedunt Regiae Societatis membranae, a prima manu luctuoſus *exhibentes.*

Ad quam emendationem firmandam nonnulla adfers exempla, ſed quae parum apta ſunt, ut mox oſtendam, ad id quod vis, comprobandum. *Propertius IV. I.*

Nec rudis infeſtis *miles radiabat in* armis.

Ovid. Epiſt. Oenones.

Tyndaris infeſtis *fugitiva repoſcitur* armis.

Seneca Phoeniſſis, 560.

Quin tuae cauſae nocet
Ipſum hoc, quod armis *vertis* infeſtis *ſolum.*
Datur ſignum, infeſtiſque armis *concurrunt.*

Infeſtis armis recte dici nemo, opinor, ignorat, idque probare velle exemplis videtur eſſe Scriptoris, & ſuo, & lectoris otio abutentis. Ego vero ea adſcripſi, ut inſcitiam tuam in exemplis adferendis, hic quoque in conſpectu ponerem: eorum enim nullum eſt, quod *infeſtis*, *luctuoſus* hic legi debere confirmet: neque ad hoc efficiendum ulla valent exempla, niſi ea, in quibus haec verba *infeſtus*, *luctuoſus*, *arma* comprehenduntur, & praeterea nomen ſubſtantivum, ad quod tam *infeſtus* quam *luctuoſus* commode referri queant. Deinde, ais, *Medus luctuoſus*, ut Carm. III. 6.

Di multa neglecti dederunt
Heſperiae *mala* luctuoſae.

neque hic locus quidquam ad emendationem fulciendam valet, ut ex iis quae modo attuli, per-

Digitized by Google

perſpicuum eſt. Deinde, ais, *neque tamen ex toto damnari poteſt recepta lectio. Nam* luctuoſa arma *recte dicuntur*, *ut Cicero* luctuoſum *diem*, perluctuoſum *funus. Tum autem* infeſtus ſibi, *erit ſibi adverſus*, *ſibi inimicus*, *ob diſcordiam nempe civilem. Sed in altera lectione collocatio venuſtior eſt*, *& ſonus ſyllabarum dulcior; ac non poteſt non iis placere*, *qui raras & eruditas aures habent* Illud hic primo reprehendendum, quod ſcribis, *ſi infeſtus* legimus, infeſtus ſibi, *erit ſibi adverſus*. Nam ad verbum infeſtus ſubintelligitur *hoſtis*, ſcilicet *Romanorum*, & *ſibi* referendum ad *diſſidet*. Deinde tecum pugnas, nam ad Carm. II. XIV. v. 27.

Et mero tinguet pavimentum ſuperbum,

ad hunc modum ſcribis, *ſi cum Barthio* legeris ſuperbus ab odioſi quidem *Homoeoteleuti culpa Flaccum abſolveris : ſed audacis epitheti laude*, *quae toties feliciter ei ceſſit*, *eadem opera privaveris*. At hic *infeſtis*, *luctuoſus* propter dulciorem ſyllabarum ſonum receptae lectioni praefers. Quod omnino pugnat cum eo quod ad *pavimentum ſuperbum* adnotaſti. Quid? nonne *infeſtis luctuoſus* ſi reponas, Horatium audaciore & ſplendidiore figura ſpoliaveris? *pavimentum* enim *ſuperbum* cum exigua laude, ut ſupra oſtendi, dicitur; *arma*, *luctuoſa* cum magna dici quis dubitet? Nunc ad codicum, quibus Heinſiana emendatio firmatur, auctoritatem pervenio. Et omnino credendum *infeſtis luctuoſus* inepti Correctoris eſſe

com-

Digitized by Google

commentum, qui ob ignoratam tranſlationis virtutem, *arma* parum apte dici *luctuoſa* arbitratus eſt; *Medum* vero dici luctuoſum vel aptiſſime, & propterea *luctuoſus* pro *luctuoſis* repoſuit, ut longinquiori ſubſtantivo conveniret, re ipſa, ut ei videbatur, id neceſſario requirente. Sed argumentum, quo inprimis adductus videris, ut *infeſtis luctuoſus* vulgatae lectioni praeferendum eſſe cenſeres, hoc eſt. *Sonus*, inquis, ultimarum ſyllabarum in *Medus infeſtus* non poteſt non diſplicere iis qui raras & eruditas aures habent. Atqui Horatius Carm. Lib. I. I. v v. 23. 24.

Multos caſtra juvant, & lituo tubae
Per*mixtus* ſoni*tus*, *bellaque matribus*

Ubi poſtrema ſyllaba in *permixtus*, quamquam variari facillime poterat; pro *permixtus* enim *permixti* multitudinis numero proclive ei fuerat reponere, tamen ex interioris artis praecepto retinuit *permixtus*.

Item Carm. IV. IV. v. 10.

*Demiſit hoſtem vivi*dus *impe*tus.

Item Epod. II. v. 60.

*Vel hoe*dus *ereptus lupo*.

Huc quoque pertinet quod adnotaſti ad Carm. IV. IV. v. 7.

Verniſque, jam nimbis remotis:

Ceterum, ſi illud is *ter repetitum delicatulas aures offendat, is primum ſic cogitet, ineptum eſſe Euphoniae conſulere cum totius ſententiae diſpendio.* Illud addendum puto, ad Poëtae officium pertinere, ut majorem curam nitori, elegan-

tiae

Digitized by Google

tiae & granditati elocutionis quam numerorum concinnitati adhibeat; & proinde, cum damno egregiae figurae, etiamſi ejus conſervatio numeros minus laudabiles induceret (quamquam receptae lectionis numeri magis artificioſi ſint quam ſunt numeri lectionis Codicis Galeani, ut in Notis oſtendi) non mutandum *infeſtus luctuoſis* in *infeſtis luctuoſus*.

Nunc ad tertium locum, quem a te male emendatum eſſe Metaphora demonſtrat, venio. Epiſt. Lib. II. I. v. 2.

Res Italas armis tuteris, moribus ornes,

Ubi tu pro *moribus* reponendum *moenibus* exiſtimas; verbo autem *Moenia*, ais, *non muros urbis, ſed tecta & aedificia intra urbem* ſignificari. Deinde ſic ſcribis. *Quod enim de moribus hic narratur, levis eſt jactura, ſi abſit: quippe quod altero illo* Legibus *ſat percipitur & comprehenditur: mores ſiquidem ipſi legibus emendantur, & amborum regimen ſimul recepit Auguſtus. At ſi* MOENIBUS *huc adſciveris, nova nec temere omittenda laude Auguſtum mactas. Ipſe enim apud Senecam in Apocolocyntoſi haec de ſe in coetu Deorum:* In hoc terra marique pacem peperi? ideo civilia bella compoſui? ideo LEGIBUS urbem fundavi, OPERIBUS ORNAVI? *Quid alind quaeſo ſunt* opera, *quam* moenia *ſive aedificia? ut proinde, ſi* moenia *hic reponas, idem prorſus de Auguſto Noſter, quod ille de ſe, dixerit. Tria enim uterque poneret;* armis tutari *ſive* terra marique pacem parere; Legibus emendare, *ſive* fundare; Operi-

peribus, *ſive* moenibus ornare. *Certe moribus* ornare *nuſquam alibi legiſſe me memini.*

Etſi tranſlatio ad rationis normam, non ad exemplorum auctoritates, ut ſupra oſtendi, dirigi debeat; tamen quia tui moris eſt, in Notis ad Horatium magnam exemplorum copiam congerere; locos aliquot optimorum Auctorum, in quibus *ornare*, *adornare*, *exornare moribus*, vel, quod idem ſonat, *virtutibus*, ſubjiciam; qui loci te admonebunt, ne in futurum memoriae tuae nimium confidas. Exordiar a Plauto Moſtell. Act. I. Sc. 3. v. 12.

Quin tu te exornas moribus lepidis

Cicero ad Familiar. Lib. XIII. Epiſt. 13. *bonus plane vir & cum* virtutibus, *tum etiam fortuna*, *ſi quid hoc ad rem pertinet*, ornatus. Idem de Finibus Lib. II. c. 34. Virtutibus *inſtructum &* ornatum. Et Lib. IV. c. 21. *ea*, virtutibus *iis*, *quibus a natura eſſemus* ornati, *obteri poſſe*. Et Lib. V. c. 31. *omnibuſque* virtutibus ornatorum. De Officiis Lib. I. c. 15. Virtutibus *lenioribus* ornatus. V. Paterculus. *tantis denique* adornatus virtutibus. Terent. Adelph. Act. II. Sc. 1. v. 22.

Si poſſiderem, ornatus *eſſes ex tuis* virtutibus

Ubi Donatus. *Sic veteres per Ironiam virtutes pro* flagitiis *dicebant*. Unde intelligitur *ornatus virtutibus* proprie dictum idem valere quod *ornatus bonis moribus*. Ex his locis apparet, verba, quae in extrema Nota leguntur, *certe* moribus ornare *nuſquam alibi legiſſe me memini*,

ni, ad conſtantem omnium codicum lectionem rejiciendam nihil adjuvare.

Nunc illud quod de voce *moribus* ſcribis, diſcutiendum eſt. *Quod de* moribus *hic narratur, levis jactura eſt ſi abſit, quippe quod altero illo legibus* ſat *percipitur & comprehenditur: mores ſiquidem ipſi legibus emendantur.* Hac ad Auguſtum Epiſtola voluit Horatius laudibus maximis eum in coelum tollere: quare cum omnes libri habeant *moribus ornes*, qua laude major nulla poteſt excogitari; cumque non tam legibus, quam moribus civitas emendetur, quid ab Horatii mente alienius ſcribi potuit, quam *moenibus* pro *moribus* reponere. Nam malus etiam Princeps hac laude poteſt eſſe dignus. Neque vero diffiteor illo *moenibus ornare* Principem virum non leviter laudari; quia tamen Italiam armis tutari, moribus ornare, emendare legibus, complectuntur ea, quae ad Principis officium omnino pertinent, Poëta hanc Auguſti laudem *moenibus ornare* non addidit; eo magis quod hoc facere, non ad ſalutem civitatis & incolumitatem conſervandam, ſed ad magnificentiam ſpectabat, at moribus vitioſis ac diſſolutis felix Reipublicae ſtatus collabaſcit. Nunc videamus, quid Horatius de legum virtutibus ſenſerit. Carm. Lib. III. XXIV. vv. 35. 36.

Quid leges ſine moribus
Vanae proficiunt?

Carm. Lib. IV. V. v. 22.

Mos & lex maculoſum edomuit nefas

Vere

Digitized by Google

Vere quoque dixit Plautus de moribus & legibus, &, ut ſolet, non inurbane Trinumm. Act. IV. Sc. 3. v. 30.

Mores leges perduxerunt jam in poteſtatem ſuam,

& vv. 32. 33.

Eae miſerae etiam ad parietem fixae ſunt clavis ferreis,
Ubi malos mores affigere nimio fuerat aequius

Item Ovid. Triſt. Lib. II. v. 233.

Urbs quoque te & legum laſſat tutela tuarum,
Et morum, ſimiles quos cupis eſſe tuis.

Itaque, ut de Ovidio & Plauto taceam, ipſe Horatius verbis, quae mox adduxi, *Quid leges ſine moribus.... Vanae proficiunt*, haec tua, quae iterum ponam, *Moribus ſi abſit, levis eſt jactura, quippe quod illo* legibus *ſat percipitur &c.* apertiſſime damnat. Praeterea alter Ovidii locus, quem tute adduxiſti, ad lectionem *moribus* tutandam haud mediocriter valet, Ovid. Metam. Lib. XV. v. 833. de Auguſto loquens,

Legesque *feret juſtiſſimus auctor:*
Exemploque ſuo mores *reget.*

Hic tamen locus corrigendi impetum, quo ferebare non repreſſit. Neque mirum: quoniam illa tua infeliciſſima memoria, quamquam te tenaciſſima praeditum eſſe non ignorem: quia, inquam, illa infeliciſſima memoria, locos quoſdam veterum Auctorum tibi ſuggeſſerat, in quibus praeter alia nonnulla, quae pro te facere putaſti, haec inveneras: *Moenibus Auguſtus* ornarat (Romanam ſcilicet Rempublicam) Item, *legibus urbem fundavi*, *operi-*

operibus ornavi. Quae corrigendi via ſane eſt fallaciſſima: quoniam, cum ratio critica ſit omnium emendationum veluti ſolum atque fundamentum, quaecunque correctio, quantacunque locorum ſimilium multitudine ſuffulta eſt, niſi ea artis aliquo praecepto ſubnixa ſit, corruat neceſſe eſt. Neque vero me fallit, multam lectionem memoriamque fidelem Critico plurimum prodeſſe, cum ad exempla, quae emendationum quaſi firmamenta ſunt, invenienda, tum ad ingenium Critici excitandum, ut ſcilicet diſpiciat utrum lectio, quam memoria offeret, ratione aliqua critica fundetur nec ne? quae ſi nulla ſuſtentetur, eam abjici oportere ſine ulla dubitatione judicabit, idque duo Horatii loci inter ſe collati facile evincunt, Epiſt. Lib. I. III. v. 33.

Seu calidus ſanguis ſeu rerum inſcitia vexat,

Ubi tu; *illud denique conſidera (quamquam receptam lectionem ſine codicis auctoritate non ſollicito) an non* Veri *potius quam* Rerum *ab Auctoris manu fuerit*,

Seu calidus ſanguis, ſeu VERI *inſcitia vexat.*

Ubi veri *accipies recti ut paſſim apud Noſtrum*, Serm. II. III. v. 43.

Quem mala ſtultitia, & quemcumque INSCITIA VERI
Caecum agit:

Ovid. Metam. VII. v. 92.

nec me ignorantia veri
Decipiet; ſed amor.

Ta-

Tacitus Agric. c. I. *Vitium parvis magniſque civitatibus commune*, ignorantiam recti *&* *invidiam*. O miram inſcitiam! nam ſi vel centum codices *veri* haberent, & unus ſolus haberet *rerum*, quid dico, *unus ſolus*, immo ſi ne unus quidem *rerum* haberet, omnino reponendum eſſet *rerum*. Quoniam, cum Poëta duas adferret cauſas, quarum una aut altera, ad amicitiam duûm juvenum reſcindendam valeret, ſcilicet, *fervor* ſanguinis, vel juvenilis *inſcitia*, parum bene dixiſſet *inſcitia* veri, contra *inſcitia rerum*, id eſt *rerum humanarum* & *communis vitae inſcitia*, dixiſſet optime: quod & recta ſcribendi ratione, & illuſtrium Auctorum uſu comprobatur. Jam ad v. 43. L. II. Serm. III. venio,

Quem mala ſtultitia, & cujuſque *inſcitia* veri

Ubi in tranſitu animadverto *cujuſque*, ut in Notis demonſtravi; non *quaecumque*, *quemcunque* legi oportere. Atque hic quidem Poëta recte facit Damaſippum Stoicum *inſcitia veri* dicentem: nam & Seneca & alii ſcribunt, ex errore ac falſis opinionibus de bonis & malis naſcitur, ut Stoici putant, ſtultitia, & in hoc loco aeque ineptum foret, *inſcitia rerum* ſcribere, atque in illo eſſet *inſcitia veri*. Quod autem ad peccandi cauſam attinet, eam non tam longe arceſſerem, atque te feciſſe deprehendi in cauſa mutandi *campum luſumque trigonem*. Serm. I. 6. v. 126. in *rabioſi tempora ſigni*, adferenda: ad quem verſum ſic adnotas. *Unde vero petitum, tam pulchrum commentum nobis propinant?*

Digitized by Google

nant? ex Perſio nempe, cujus illud Sat. III.

Siccas inſana Canicula *meſſes*
Jam dudum coquit, & patula pecus omne ſub umbra eſt.

Atqui non ex Perſio, ſed ex ipſo Horatio hoc ita interpolarunt. Epiſt. I. vv. 15. 16.

Ubi gratior aura
Leniat & rabiem canis, *& momenta leonis,*

Peccandi itaque cauſam Interpolatori illud praebuiſſe dicerem, quod, cum in Serm. II. III. v. 43. reperiſſet *inſcitia veri*, putavit *rerum* in hac Epiſtola mutandum in *veri*. Ceterum loci optimorum Scriptorum qui pro lectione *inſcitia* rerum faciunt, ſunt adferendi. Terent. Andr. Act. V. Sc. IV. vv. 7. 8.

tune hic homines adoleſcentulos
Imperitos rerum, *eductos libere, in fraudem inlicis?*

Cicero pro Sextio. c. 21. *tam eram rudis? tam* ignarus rerum*? tam expers conſilii, aut ingenii?* Idem II. Philipp. c. 4. *Homo & humanitatis expers &* vitae communis ignarus. Ibid. v. 15. *Neque vero eram tam indoctus* ignaruſque rerum.

Ovid. Heroid. XVII. v. 145.

Felices, quibus uſus adeſt! ego, neſcia rerum,

A. Gellius Lib. XIII. c. 8. *Qui* ſapiens *eſſe* rerum *humanarum velit, non libris ſolis, neque diſciplinis Rhetoricis Dialecticiſque opus eſſe, ſed oportere eum verſari quoque exercerique in rebus communibus noſcendis periclitandiſque.*

Digitized by Google

Ovid. Metamorph. I. v. 225.

Me parat. haec illi placet experientia veri.

Ubi Nic. Heinſius, rerum *numeroſius*; *quod in ſecundo Mediceo extabat.* Ego ſane non dubitem quin apud Ovidium legendum ſit *experientia rerum.* Non idcirco tamen, quod *rerum* numeroſius eſt, ita legendum cenſeam, ſed ideo, quod *veri* irrepſiſſe videatur ex verſu proxime praecedente 223.

Nec erit dubitabile verum.

Illud quoque Correctori mutandi *rerum* in *veri* anſam dediſſe veri ſimile eſt, quod, cum Poëta de una re loqueretur in v. 224.

Nocte gravem ſomno nec opina perdere morte
Me parat. haec illi placet experientia veri.

putavit, *rerum* male dici: at hoc multitudinis quam unitatis numero elegantius efferri, in Notis ad Horatium oſtendi: denique ut *rerum* legam illud me movet, quod vox *rerum* voci *experientia* quam vox *veri* aptius jungatur, quod neminem, niſi qui rectam ſcribendi rationem ignoret, ignorare arbitror. Sed, ut ad Metaphoram *moribus ornare*, unde digreſſi ſumus, revertamur. Feſtus in *ornatus.* Ornatus *dicitur & bonis artibus inſtructus, & honores adeptus a populo, & bene aptus, ut miles... atque etiam* ornatus *dicitur cultus ipſe quo quis ornatur, & cum dicimus aliquem tragico vel comico* ornatu *prodire*, & ita Cicero dixit *ornatum Oratoris* eſſe quaſi veſtem; unde liquet hoc verbum aptiſſime a corpore ad ani-

Digitized by Google

animum tranſlatum eſſe, ut enim veſtes ornant corpus, ita animum artes, inſtituta diſciplinae, mores, virtutes & ſimilia adornant.

CAPUT XII.

Octo locos Horatii a Bentleio male emendatos eſſe.

PRimus Horatii locus eſt e Carm. Lib. I. VII. v. 27.

Nil deſperandum, *Teucro duce*, *& auſpice* Teucro:
Certus enim promiſit Apollo.

Ubi tu ſic ais; *Sane olim turbabant hic codices*, *ut ex vetere Scholiaſte patet*: Auspice, *inquit*, hoc eſt, fautore, vel ſponſore: Apollinem dicit, cujus reſponſa vel promiſſa ſequebatur. *Ita etiam plane habet Acron manuſcriptus in Bibliotheca Regiae Societatis*; *ita fere Cruquii Commentator. Atqui ea annotatio cum praeſenti lectione conciliari non poteſt. Inde quoque eſt*, *quod duo Lambiniani cum totidem meis praeferant* auſpice Teucri. *Quae quidem lectio*, *quantumvis inepta*, *certe illud evincit*, *ejus fabricatores non ad Teucrum*, *ſed Apollinem* τὸ Auspice *retuliſſe. Quid multa? Ipſam*, *credo*, *Poëtae manum repraeſentabit*, *qui refinxerit verſum ad hanc ſpeciem:*

Nil deſperandum Teucro duce, *& auſpice* Phoebo.

Profecto longe meliores animos & certiorem ſpem ſuis ſociis addidiſſet Teucer, *ſi his verbis eos*

 com-

Digitized by Google

compellaſſet; *quam ſi ad ſuam unius auctoritatem omnia retuliſſet: ſub gemino enim illo praeſidio nihil prorſus* deſperandum *erat. Quid quod hanc videntur emendationem flagitare quae proxime ſequuntur:*

> *Certus* enim *promiſit Apollo.*

Quo enim pertinet illud ENIM, *ſi in priore verſu nihil quicquam de Apolline memoratum eſt? Quanto aptius haec cum ſuperioribus connectuntur, ſi mecum legeris*, Auſpice Phoebo? *ut in illis* Statii Silv. III. 5.

> *hic* auſpice *condita* Phoebo
> *Tecta, Dicarchei portus.*

Et Silv. II. 2.

> *reſeretque arcana pudicos*
> *Phemonoë fontes, vel quos meus* auſpice Phoebo
> *Altius immerſa turbavit Pellius urna.*

Neque vero illud te deterreat, quod continuo repetit, Apollo,

> *Certus enim promiſit* Apollo:

Tamquam ſatis fuiſſet in priore verſu Phoebum nominaſſe. Sic enim alibi Romuli nomen ſubjungit, cum eum περιφραστικῶς *jam nominaſſet*, Carm. IV. 8.

> *Quid foret* Iliae
> Mavortiſque puer, *ſi taciturnitas*
> *Obſtaret meritis invida* Romuli?

Atque alii ita Poëtae non raro.

Multa hic animadvertenda ſunt. I. ut illud *Teucro* mutares in *Phoebo* excitaſſe te videtur Lambini adnotatio. *Quidam per* auſpicem Teucrum, Apollinem *ſignificari volunt. Sed faci-*

Digitized by Google

facilius hoc obtinerent, ſi legeretur Teucri, *quam ſcripturam reperi in duobus Mſſtis.* II. animadvertendum te non vidiſſe in Acronis Nota, quam adtuliſti, pro *fautore* legendum *autore*, ut Librarii ſcribebant, pro *auctore*; hoc autem *autore* non eſt, ut tu putaſti, Acronis; nam Commentator Cruquianus illud non habet, &, quod tuum acumen effugit, *autore* eſt interpretamentum vocis *auſpice*; Gloſſaria Philoxeni & aliorum ab Labbaeo edita. Auſpice, *autore*, *fauctrice*, repono *auctrice*. Nam *auſpex* eſt nomen commune utriuſque generis, & idcirco additum eſt *auctrice*; quae vox optimis Scriptoribus incognita, Latinitate poſtea collapſa, invaluit: de qua vide Theſaurum Fabri in verbo *Auctor*. Praeterea in Nota Acronis, pro *Apollinem dicit* legendum *reſpicit*, ut habet Scholiaſta Cruquianus; nunc ad graviſſimum errorem tuum pervenio. *Ad verbum* auſpice *habet*, inquis, *vetus Scholiaſta fautore vel ſponſore. Atque ea*, ais, *annotatio cum praeſenti lectione conciliari non poteſt* Cruquianus autem Scholiaſta *fautore*, ut ſupra dixi, non habet: *ſponſore* habet. Quare, cum vetus ille Interpres caſtigatioribus uteretur libris quam ſunt ii, qui jam extant, quaerendum eſt verbum, cui haec interpretatio reſpondeat. Tu vero V. Cl. quamquam monuiſti *ſponſore* cum lectione *auſpice* conciliari non poſſe, *auſpice* tamen retinuiſti: ego vero non dubito, quin pro *auſpice* reponi debeat, *obſide* cujus interpretamentum eſt *ſponſore*; praeſertim

Digitized by Google

ſertim cum aliud verbum excogitari non poſſit, quod per *ſponſore* exponatur, quodque metri legi obtemperet. Supereſt, ut *obſes* pro *ſponſore* vel *fidejuſore* uſurpari oſtendam.

C. Nepos in Phocion. cap. II. *hic audiente populo, Phocion negavit eſſe periculum, ſeque ejus rei* obſidem *fore pollicitus eſt.* Ovid. Heroid. II. v. 34.

Qui mihi conjugii ſponſor *&* obſes *erat?*

Claud. de Bello Get. v. 318.

tantoque ſui ſtetit obſide *fati.*

Prudent. ΠΕΡΙ ΣΤΕΦ. vv. 458. 59.

Et jam tenemus obſides
Fidiſſimos hujus ſpei:

Videndus quoque Gronovius Lib. Obſerv. II. c. 8. ubi plures e Cicerone adfert locos, in quibus *obſes* idem, quod *ſponſor*, denotat. Teucer ergo idem fere dicit, quod apud C. Nepotem Phocion, Nil deſperandum eſſe, ſeque ejus rei obſidem eſſe; idoneum autem ejus rei eſſe ſe obſidem; quoniam certus ſibi promiſit Apollo &c. Ex quo facile intelligitur, quo illud *enim* referatur, etſi nihil quicquam in priore verſu de Apolline memoratum ſit: nam particula *enim* ideo ſequi debuit, quia oſtendit Teucrum ut ejus rei *obſidem* non potuiſſe recuſari.

Ad emendationem ſecundam progredior. Carm. Lib. I. XXXV. vv. 30. 31.

Serves iturum Caeſarem in ultimos
Orbis Britannos,

Ubi

Ubi tu ſic ſcribis; *Sed quid illud eſt*, ultimos ORBIS? *Satis profecto erat* ultimos Britannos *dixiſſe*, *& longe elegantius eſſet : ut ipſe alibi*, Carm. II. 20.

Dacus & ultimi
Noſcent Geloni.

Epiſt. I. 6.

Quid maris, extremos Arabas *ditantis & Indos*?

Epiſt. I. 1.

Impiger extremos *curris mercator ad* Indos.

Sic Carm. I. 36.

Qui nunc Heſperia *ſoſpes ab* ultima.

Et II. 18.

Premant columnas ultima *reciſas* Africa.

Deinde ais; *Quid*, *quod ſi additum quicquam voluiſſet Noſter*, ultimos *credo* hominum *Britannos*, *non* ultimos orbis *appellaſſet*, *ut* Virgil. Aen. IX. 727.

Extremique hominum *Morini*, *Rhenuſque bicornis*

Sane ultimos orbis, *vel quod perinde eſt*, ultimos terrae *mihi plane ſemibarbarum videtur*; *neque hujuſmodi loquendi genus*, *niſi fallor*, *apud ullum bonum Auctorem inveneris.*

Ergo cum illud ultimos orbis *minime recto talo conſiſtere videatur*; *neque nos juvent MSSti*; *ecquid eſt*, *quod ex conjectura commode ſubſtitui poterit? Equidem*, *quia jam tandem Fortunam precari Noſter incipit*, *plane inducor*, *ut precandi verbum hinc excidiſſe credam*, *& locum ſic reponendum eſſe*;

M 5 Ser-

Digitized by Google

Serves iturum Caeſarem in ultimos,
ORO, *Britannos.*

Quid facilius procliviuſve quam ut oro *ab ineptis Librariis in* orbis *mutaretur?* Serves, oro: *ut Noſter alibi* Serm. II: 4.

Sed des *veniam bonus*, oro.

Ovid. Triſt. I. 4.

Invigiles *igitur noſtris pro caſibus*, oro.

atque alii paſſim. Deinde addis, *locus apud Lucanum extat libro VII.* 541. *& prima quidem fronte germanus huic noſtro videtur*, extremi Iberi orbis, *ut* ultimos Britannos orbis.

vivant Galataeque, Syrique,
Cappadoces, Gallique, extremique orbis Iberi,
Armenii, Cilices.

propius autem contuenti plane alia hujus loci ratio, quam noſtri, apparet: quippe extremi *hic genitivus eſt ſingularis, Iberi* orbis extremi; *ut* Virgil. Georg. II. v. 123.

Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi *ſinus* orbis.

Ovid. Faſt. I. 717.

Horreat Aeneadas & primus & ultimus orbis.

Triſt. I. 1.

nobis habitabitur orbis
Ultimus, *a terra terra remota mea.*

Epiſtola Hypermneſtrae: *regnoque domoque*
Pellimur: ejectos ultimus orbis *habet.*

Statius Silv. V. I.

quantum ultimus orbis
Ceſſerit, & refluo circumflua gurgite Thule.

Recte

Digitized by Google

Recte itaque dixeris, ultimi orbis Iberos, ultimos *autem minime*. Haec omnia eo retuli, quo tempore lectoris ac tuo abuti dediſceres: perpaucis enim tota haec res conficitur. Repono *ultimi*, quod Interpolator errore ſollemni ſcilicet ex ignorata verborum *ultimi orbis* conſtructione mutavit in *ultimos*. Britannos enim ultimos, ut apud Horatium, *extremi Geloni*, *extremum Tanain*, *extremos Arabas*, *extremos Indos*, recte dici non ignoravit. Quod autem ſcribis: *Quid facilius procliviuſve quam ut* oro *ab ineptis Librariis in* orbis *mutaretur*, a vero longiſſime abeſt; ſimilis enim mutationis variae lectiones veterum codicum exemplum ſuppeditant nullum, mutatae vero conſtructionis ſuppeditant ſexcenta. Ceterum *ultimus* orbis eleganter dici, loci Poëtarum a te allati oſtendunt; atque in illo Lucani *extremique orbis Iberi*, ad quem verſum ſic ſcribis, *propius autem contuenti apparet*, *hic* extremi *genitivi eſſe caſus*. Immo Verulanus & Aſcenſius, qui propius res contueri non ſolebant, *extremi* genitivi caſus eſſe viderunt. Noli vero V. Cl. de eo gloriari, quod *ultimus orbis* multis exemplis optime dici oſtenderis; quivis enim Criticus, dummodo non ſit paullo hebetior, in locupletiſſimis, quos jam in omnes fere Poëtas habemus, indicibus exempla ſine magno labore inveniat.

Sequitur tertius locus a te bis male emendatus. Carm. Lib. III. XIV. vv. 10. 11. 12.

vos

vos ô pueri, & puellae
Jam virum expertae, male ominatis
Parcite verbis.

Non immerito, inquis, *miratur Torrentius, cur addat* jam virum expertae; *cum potius par erat, ut cum pueris* innuptae puellae *conjungerentur.* Deinde addis: *Equidem ſi per codices liceret, ſic emendaverim.*

Non virum expertae.

Imperitiſſime. Nam quae cauſa peccandi? quare legendum *jam virûm expertes* mutavit Interpolator, quod ignoravit virum eſſe genitivi caſus. Carm. Lib. III. XI. v. 11.

Nuptiarum expers,

Virgil. Aen. IV. v. 550.

Non licuit thalami expertem

Sic autem reponendum in Notis ad Horatium plenius demonſtravi. Atque haec emendatio tuam redarguit inſcientiam, at multo magis ea, quae in eodem verſu ſequitur.

Male ominatis

ubi *Codices*, inquis, *in diverſa diſtrahuntur: nam dimidia pars habent*, nominatis, *& totidem fere* ominatis: *interea hoc pro comperto jam habetur, melius facere ad ſententiam* Ominatis, *niſi quod verſus menſuram hiatu ſuo labefacere videatur.* Multi autem *defendunt*, male ominatis; *ut neglectâ hic Synaloephâ vocalis* E *non elidatur; qualia multa occurrere putant in terſiſſimis etiam Poëtis, ut apud Noſtrum* Epod. V.

Et Eſquilinae alites.

Et

Digitized by Google

Et Serm. I. 9.

Si me amas, inquit, paullum hic ades.

Sed inprimis notandum, non niſi in longis vocalibus hiatus illos admitti; cujus rei a Muſica petenda eſt ratio.

Extat quidem *Virgilii verſus*, Aen. I. 405.

Et vera inceſſu patuit Dea. ille ubi matrem
Agnovit.

Verum hic peculiaris hiatus ratio eſt, quae in Horatii verſu locum non habet Quippe poſt Dea *plena diſtinctio eſt, & tum nova incipit oratio: & quia in pronunciando pauſa & morae ſpatium intercedit*, Dea *&* ille *per Synaloepham coaleſcere minime debuerunt. Quare haeret*, inquis, *haec res; & aut ſententia laborabit, ſi legeris* Nominatis; *aut verſus, ſi* Ominatis. *Sed bono animo eſſe poteris; nam leviſſima mutatione utrique vitio ſuccurrere licet; neque dubites, quin ſic profectum ſit ab Horatii manu;*

Jam virum expertae, male INOMINATIS
Parcite verbis.

ut ipſe alibi Epod. XVI.

Inominata *perprimat cubilia.*

Confidentiſſime, ne quid gravius dicam, hoc a te ſcriptum, *ſed bono animo eſſe poteris; neque dubites, quin* male inominatis *profectum ſit ab Horatii manu*, nemo non, ut opinor, judicabit. Quid? cum *male inominatis* hoc loco aliud non ſignificet quam *valde inominatis* (nam tute ipſe fateris *male* hic augere ſignificationem) hanc emendationem *inominatis*, nonne

nonne ipſa hujus formulae natura atque uſus omnium Auctorum refellunt? certe ex Briſſonii Lib. I. de Formulis conſtat, hujus formulae verba ſollemnia eſſe haec vel ſimilia: *Favete linguis*, *ore favete*, *animis linguiſque favete*, *bona verba dicite*, & *mente* & *voce favete*. Jam *ſi male inominatis verbis parcite*, denotat, *valae inominatis*; haec vero formula potius expoſcit verba optimi ominis, certe nihil, quod alienius a mente & manu Horatii eſſet, excogitari potuit quam hoc, quod tu adfirmas a manu Horatii profectum eſſe, *inominatis*: graviſſimi autem hujus erroris cauſam invenire difficile non eſt; nimirum, cum memoria repeteres Horatium Epod. XVI. ſcripſiſſe *inominata perprimat cubilia* ex perverſa conſuetudine locos ex locis corrigendi in hoc verſu *inominatis* eum quoque ſcripſiſſe, locis inter ſe non comparatis, inconſiderate judicaſti. Numquamne erit, vir eruditiſſime; ut ab hoc enormi emendandi modo deſiſtas? Ego ſane angor & excrucior, quod in hujuſmodi peccatis reprehendendis tam ſaepe cogor tempus conſumere. Deinde in iis, qui Synaloepham recte negligi putant, eſt, inquis, *Sagaciſſimus Heinſius*; *is enim* ad Claudian. Sec. Conſul. Stilich. v. 167. *fuſe* male ominatis *tuetur*. *Sed illud non animadvertit vir inſignis*, *pleraque omnia*, *quae ibi profert*, *hiatuum exempla in caeſuram ſive in primam pedis ſyllabam cadere: non ut hic*, *in Dactyli tertiam aut ſecundam*. *At-*

Digitized by Google

Atqui hoc multum intereſſe ſciunt rythmorum & muſicae periti. Equidem Latinos Poëtas ad Graecorum imitationem hiatus feciſſe arbitror. Cicero in Oratore c. 45. *Sed Graeci viderint: nobis, ne ſi cupiamus quidem, diſtrahere voces conceditur. Indicant omnes Poëtae, praeter eos, qui ut verſum facerent, ſaepe hiabant. Ut Naevius,*

Quam numquam vobis Graii, atque Barbari.

Et quidem nos,

Hoc motu radiantis Eteſiae in vada ponti.

Hoc idem noſtri ſaepius non tuliſſent, quod Graeci laudare etiam ſolent. Deinde ais, *non niſi in longis vocalibus hiatus illos admitti.* Sic Virgil.

Credimus an qui amant,
Et longum, formoſe, vale, vale, inquit, Iola.
Clamarent, ut littus Hyla, Hyla, omne ſonaret
Te Coridon, ô Alexi ---- Pelio Oſſam.
Inſulae Ionio ---- Te amice, nequivi.
Glauco & Panopeae & Inoo Melicertaè
Implerunt mentes, flerunt Rhodopeiae arces.
Victor apud rapidum Simoënta ſub Ilio alto.

Nuſquam memini obſervaſſe, vocalem brevem extra caeſuram hiatum facere, praeterquam in duobus locis, uno Catulli, Virgilii altero: quorum ille Epigr. III.

O factum male, ô miſelle Paſſer,

Verum is verſiculus in mendo cubat: omnes enim membranae ibi praeferunt,

Bonum factum male bonus ille paſſer:

ut teſtatur Achilles Statius, qui ex conjectura illud alterum repoſuit. Nihil itaque ex tam dubio

bio loco concludi poterit. Virgilii verſus extat Aen. I. 405.

> *Et vera inceſſu patuit dea. Ille, ubi matrem Agnovit.*

Duobus illis Catulli & Virgilii locis tres tibi non obſervatos adjiciam. Ovid. Metam. Lib. V. v. 625.

> *Et bis, Iö* Arethuſa, *Iö Arethuſa, vocavit.*

Prop. Lib. III. XI. v. 61.

> *Certa loquor, ſed nulla fides.* neque *Ilia quondam,*

ubi Broukhuſius ſcribit, *neque enim Ilia quondam, ita habent omnes Libri, excepto ſecundo, a quo* enim *abeſt*; & omnino abeſſe debere idem Vir ingenioſiſſimus ibi demonſtrat. Perſius Satyr. III. v. 66.

> Diſcite *ô miſeri, & cauſas cognoſcite rerum.*

Ubi alius Interpolator ad verſum fulciendum repoſuit *diſciteque*, alius *diſcite &*. Quid autem de his tribus locis cenſendum ſit, in Notis ad Horatium oſtendam. Ceterum, quod ſcribis *propter plenam diſtinctionem poſt* Dea *in pronunciando morae ſpatium intercedere, & idcirco* Dea *&* ille *per Synaloepham non coaleſcere*, hoc ipſum Voſſius, ut alios omittam, de Arte Gram. Lib. II. c. 14. ante obſervavit.

Nunc operae pretium erit V. Cl. ex iis quae paullo ſuperius retuli, te tecum committere. Carm. Lib: I. II. v. 31.

> *Nube* candentis *humeros amictus*

Ubi tu ſic; *Ita nunc pleraeque editiones: verum principes illae Venetae & Loſcheriana* CANDENTI,

DENTI, *neque aliter olim Acron Scholiaſtes:* Melius, *inquit*, Nube candenti, quam Candentis humeros. *Mihi vero in nullo melioris notae codice* candenti *illud eſt viſum. Sed rem ipſam videamus. Jam primum qualis ſodes hiatus erit, ſi legeris* CANDENTI? *qualem vel unum alterum nuſquam hic inveneris.* Atqui Horatius praeter duos illos *Eſquilinae alites* & *ſi me amas, inquit*, quos hic ad librum III. XIV. adfers, alios duos habet hiatus Lambino animadverſos. Carm. I. XXVIII. v. 24.

Oſſibus & capiti inhumato

Epod. XIII. v. 3.

Threicio Aquilone ſonant.

Virgilius quoque in longis vocalibus ſaepe negligit Synaloepham; uno loco ero contentus, quem ad hunc verſum *Nube candentis* profert Torrentius. Virg. Eccl. VII. v. 53.

Stant & juniperi, & caſtaneae hirſutae:

Ubi idem poſt alios geminum inveniri hiatum admonet.

Sed tempus eſt ut ad ea, quae frontibus adverſis ſecum pugnant, veniam. Ad verba *male inominatis* ſcribis *Synaloepham negligi, cum vocalis cadit in caeſuram*; deinde addis, *fateor equidem etiam extra caeſuram ſaepe negligi Synaloepham in longis vocalibus.* Contra, ad verba *Nube candentis humeros* ſic ſcribis, *qualis ſodes hiatus erit, ſi legeris* CANDENTI? Atqui hiatus in *candenti humeros* & cadit in caeſuram & in longam vocalem. In aliis autem

 qua-

Digitized by Google

quatuor Horatii locis in ſolam longam vocalem hiatus cadit. Notam igitur tuam ad hunc verſum, cum illa ad alterum acerrime pugnare tute ipſe diffiteri non poteris. Verum addis; *Sed, quod caput eſt, illud* nube candenti *non tam non oppoſitum eſt hujus loci ſententiae, quam prorſus contrarium. Nempe nube hic amiciendus erat Apollo, nequis eum mortalium inter ipſos verſantem agnoſceret.* Virgil. Aen. I. 415.

At Venus obſcuro *gradientis* aëre *ſepſit*,
Et multo nebulae *circum Dea fudit* amictu,
Cernere ne quis eos, neu quis contingere poſſet.

& ibidem 520.

Diſſimulant & nube cava ſpeculantur amicti.

Jam autem, qui quaeſo convenit, aut quo Poëtae conſilio factum, ut qui oculos fallere & latere conetur, nubis iſtius candore *ſe ipſe manifeſtet? Hoc tam inepte incommodeque, ut nihil ſupra.* Atqui Horatius Apollinem hic precatur, ut non ſolum Romanis propitius eſſe velit, verum etiam ut eo amictu velare ſe velit, quo ſolet conſpici, cum ſe propitium eſſe ſignificat;

venias, precamur,
Nube candenti *humeros* amictus

Et bene Commentator Cruquianus, nube candenti amictus, *candidis nubibus velatus, ut qui videri poſſit: non amicti enim Dii nequeunt conſpici*, hoc addi oportuit, neque nigra nube velati conſpici poſſunt, atque hanc eſſe Poëtae ſententiam confirmat Doctiſſimi Fabricii ad hunc locum adnotatio; *Nubes candens*, ſecun-

Digitized by Google

cundum Servium, *eſt nimbus, quo Dii ſemper amicti ſunt; cum in terras propitii deſcendunt.* Verum dubitationi nihil loci relinquit fideliſſima obſervatio, quaeque huic loco convenit; ſcilicet Interpolatori nulla fuit cauſa mutandi *candentis* in *candenti*: *candenti* autem in *candentis* mutandi fuit duplex; una, quod *candenti* in metri legem committeret; altera, quod *nube candenti* inſolens eſſet elocutio, *humeros candentis* eſſet vulgatiſſima. Atque in hanc ſententiam vel obtorto collo te tua trahet adnotatio ad Serm. II. III. v. 188.

Rex ſum: nil ultra quaere *plebeius & aequam*

QUAERE *interpolari potuit ab illis ſciolis, ut laboranti verſui mederentur; ignaris ſcilicet & virtute caeſurae & ob duplicem conſonantem* τὸ quaere *hic poſteriorem ſyllabam producere: contra, ſi* QUAERO *ab Horatii manu fuiſſet, nuſquam quemquam inventum iri, qui* τῷ quaere *vel ſomnio ſubſtitueret.* Nonne duae rationes quas modo adtuli, evincunt, ſi *candentis* ab Horatii manu fuiſſet, nuſquam quemquam inventum iri, qui *candenti* vel ſomnio ſubſtitueret.

Sed, ut ad hujus loci ſcripturam redeamus, *male ominatis . . . . parcite verbis*, duae obſervationes loco medicinam promittunt, quarum una ſic legi ſuadet, *male ô ominatis*; admonet enim Librariorum oſcitantia *ô*, quod bis ſcribi oportuit, ſemel ſcriptum eſſe, quod vitium iis perfamiliare eſſe Critici norunt. Epiſt. Lib. II. II. v. 199.

N 2 *Pau-*

Digitized by Google

Pauperies immunda procul procul abſit. ego utrum

Ubi univerſi codices, uno Pulmanniano excepto, habent vel *procul domus abſit*, vel *domo*, *domu procul abſit* : tu vero *procul procul* primus in contextum recepiſti. Et recte quidem : illud parum recte in Nota ibi additum. *Poteris etiam ſic refingere*,

Pauperies immunda procul precor, *abſit.*

Haec enim a Librariis ſaepe confunduntur. Ovid. Heroid. XVIII. 220.

Delicti fies idem reprehenſor & auctor:

Terra, precor, *vultus obruat ante meos.*

ubi codex veterrimus Puteaneus aliique procul *pro precor ſubſtituunt*, *teſte Heinſio.* Illud, inquam, parum recte adjicis, quod hic etiam *precor* legi poterit. Etſi enim *procul* & *precor* nonnumquam confunduntur, etſi quoque nec Poëtae mens, neque metri ratio *precor* reſpuat; quoniam tamen obſervatio certiſſima *procul* amplectitur, *precor* averſatur, hic reponi non poterit *precor*: quod ita verum eſt, ut, etſi vel maxime *precor* aliquot codicum auctoritate firmaretur, *procul* vero nullius, hoc tamen, non illud in contextum induci deberet. Altera obſervatio docet Interpolatorem more ſuo praepoſitionem *ab* detraxiſſe, quia *parcite ab ominatis verbis* Latinum non eſſe exiſtimabat, ſed inſcitiſſime; nam haec eſt plena elocutio, altera vero conciſa; & quod haec quam illa vulgatior eſſet, ex ignorata conſtructione Corrector *ab* delevit. Livius Lib. XXV. c. 253. *precantes ut a caedibus & ab incendiis parcere*

ceretur, ubi vetus liber Sigonio teſte ſic habet *ut caedibus & incendiis parceretur*. Verum & ibi ex eadem cauſa Corrector *a* & *ab* imperite ademit. Similiter Carm. I. XXVII. v. 19.

Quanto laboras in Charybdi

Praepoſitionem *in* Corrector ſuſtulit, quae vix in uno & altero vetere codice, neque in tredecim antiquis editionibus invenitur; alii enim libri habent *laboras Charybdi*; alii *laborabas Charybdi*: quarum lectionum altera Poëtae ſententiam evertit, altera verſum mutilat; & utramque recta loquendi ratio aſpernatur. Ceterum omnem ablativum ab aliqua praepoſitione vel expreſſa, vel ſubintellecta, vel in verbo comprehenſa, ut Sanctius, & alii Grammatici oſtenderunt, pendere certiſſimum eſt.

Jam, in harum obſervationum conflictione utra utri cedere debeat, videndum eſt. Et ego quidem exiſtimo, *male ô ominatis* debere praeferri: tum quia Librario perfacile fuit illud *ô* omittere, tum quod *ô* hic iteratum precantis affectui vim addit; denique quod *male ô ominatis* numeroſius eſt quam *male ab ominatis*. Nunc quod ad lectionem *male nominatis* attinet, eam Interpolatori de verſus integritate ſollicito adſignandam eſſe apparet: praeterea hanc elocutionem, *male nominatis parcite verbis*, hujus formulae ſollemnis conceptio prorſus repudiat. Itaque, cum Horatius hoc loco Synaloepham non neglexerit; cumque *male nominatis* probari non debeat; denique

 cum

cum praeter illas duas emendationes modo allatas, nulla quae loco congruat, inveniri poſſit; cumque rationum momentis *male ô ominatis* alteram emendationem vincere videatur; ſine ulla dubitatione *male ô ominatis* in contextum induxi.

Nunc ad quintum locum, quem male emendaſti, procedo. Carm. IV. IV. v. 15.

Jam lacte depulſum leonem,

Virgil. Eclog. VII.

Depulſos a lacte *domi quae clauderet agnos,*

Georg. III. 187.

Atque haec jam primo depulſus ab ubere *matris*
Audeat.

Vides utramvis dictionem ſatis per ſe valere; ſed utramque ſimul nemo, quod ſciam, adhibuit. Equidem crediderim vocabulum lacte *ex gloſſa huc irrepſiſſe; & extruſiſſe alud quid, quod jam indagandum eſt. Vide an forte ſic ſcripſerit Noſter;*

fulvae matris ab ubere
Jam MANE *depulſum leonem*
Dente novo peritura vidit.

hoc eſt, primum mane a lacte depulſum: atque inde ait dente novo. *Mane autem eſurientes leones praedam quaeritant*, ut Statius Theb. VII. 670.

Qualis ubi primam leo mane *cubilibus altis*
Erexit rabiem, & ſaevo ſpeculatur ab antro
Aut cervam, aut nondum bellantem fronte juvencum.

An potius hunc in modum;

Jam SPONTE *depulſum leonem.*

Id

Id enim generoſae ferae proprium, ut non expectet dum a matre depellatur, ſed ſponte ſe a mamma abigat, ſuarum virium jam conſcia. Statius Theb. IX. 740.

Ut leo qui parvo mater Getula cruentos
Suggerit ipſa cibos, cum primum creſcere ſenſit
Colla Jubis, torvuſque novos *reſpexit ad* ungues,
Indignatur ali;

Equidem ut non temere contenderim ſic ab Horatio profectum eſſe; ita libere dicam, non deterius, immo melius aliquanto hoc eſſe, quam quod vulgo jam circumfertur. Quid te impulerit V. Cl. ut ex illis Statii locis *ſponte depulſum* legendum eſſe conjiceres, divinare nequeo: quid enim huic loco cum illis? deinde haec conjectura lectionem, quae conjungit repugnantia *ſponte depulſum*, inducit; quo nihil ineptius fingi poteſt. Verum hoc miſſo, ad vitium ex hoc loco tollendum operam conferamus. Ex iis autem, quae hic obſervabimus, imperitia tua in arte emendandi evidenter apparebit. Dicimus igitur hujus loci reſtitutionem eo difficiliorem eſſe, quod tres obſervationes paribus fere momentis ſubnixae ad eum ſanandum concurrunt: earum prima monet vitium ex eo natum quod Librarius vocem *jam*, quam bis ponere debuit, ſemel poſuit: quare ex hac obſervatione legendum videtur *jam jamque depulſum*, & hoc Kuſterus probandum eſſe cenſebat, modo *jam jam* de praeterito dictum conſtaret; quod quidem conſtare haec exempla oſtendunt. Cicero Arat. v. 391.

 Et

Et jam jam *toto* proceſſit *corpore virgo*:

Idem in BRUTO Cap. XIV. *Poſſumus Appium Claudium ſuſpicari diſertum, quia Senatum* jam jam inclinatum, *a Pyrrhi pace revocaverit.* Seneca Medea v. 982.

Jam jam recepi *ſceptra, germanum, patrem*;

Val. Flaccus Lib. VII. v. 389.

Et jam jam *magico per opaca ſilentia Colchis*
Coeperat *ire ſono*,

Secunda obſervatio declarat mendum ex ignorata conſtructione ortum eſſe; & idcirco legendum *ab uberum jam lacte depulſum. Lac autem uberum* plena eſt enuntiatio, neque hoc minus apte ab Horatio dictum, quam ab aliis *ubera lactis, ubera lactea*, Nonius in *Pupae*. Varro.

Ac mammam lactis *ſugentem paſcere pupum.*

Virgil. Georg. Lib. II. vv. 524. 525.

Caſta pudicitiam ſervat domus: ubera *vaccae*
Lactea *demittunt*;

Tibull. Lib. I. Eleg. III. vv. 45. 46.

ultroque ferebant
Obvia ſecuris ubera lactis *oves.*

Lucretius Lib. I. vv. 885. 886.

ſimilique ſapore
Mittere, lanigerae quali ſunt ubera lactis:

Idem Lib. II. v. 370.

Ad ſua quiſque fere decurrunt ubera lactis.

Tertia obſervatio docet *lacte* ex gloſſa irrepſiſſe; & tu hanc obſervationem ſequutus pro eo reponis *mane*: verum praeter illud *mane* ſeſe offert *nocte*, idque loco videtur eſſe aptius.

Digitized by Google

tius. Nam, cum leones mane eſuriant, *non mane* ſed nocte proxime praecedente leonem *lacte* depulſum fuiſſe Poëta decenter dicere potuit; fames enim, qua leo nocte ab ubere depulſus jam mane laborabat, acriter eum urgebat, ut ad praedandum exiret, dentibuſque ad famem depellendam uti diſceret.

Sexta emendatio proponitur ac refellitur. Serm. Lib. I. II. vv. 90. 91.

Hoc illi recte. ne *corporis optima Lyncei*
Contemplere oculis;

Ubi tu ais, *ſententiam perpende*. Hoc illi, *ait*, recte: *reges ſcilicet equos emturi opertos eos inſpiciunt*; ne tu, *amator*, optima corporis amicae tuae oculis Lyncei contempleris, mala autem oculis Hypſaeae. *Itane vero? an eo conſilio reges equos conſiderant, ne amatores in amicarum forma caecutiant? Tam comes & facetos reges non temere hodie, credo, invenires. Sed dic, amabo: an tibi credibile eſt, tam ineptum hoc ab Auctore profectum eſſe? cave, dixeris. Quin ignaros potius Librarios incuſare jus & fas eſt; qui antitheſin a Flacco hic poſitam interpolatione ſua perdiderunt. Sine dubio enim ſic ille ſcripſerat*,

Hoc illi recte; TU *corporis optima* LYNCEI
CONTEMPLARE *oculis*, *Hypſaea caecior*, *illa*
Quae mala ſunt, SPECTAS.

Quod primus animadvertiſti, quae matronarum amatores faciunt, hic iis opponi, quae faciunt nobilium equorum emptores, laudo: quamquam in hac ipſa re, qui illud non vide-

runt, Hypſaea caeciores (ut mihi videtur) potius dicendi ſint, quam is, qui primus vidit, Lyncei oculis id vidiſſe dicendus ſit. Illud profecto veriſſime dicetur, hic cauſam mendi te non habuiſſe percognitam: mendum autem ex eo ortum eſſe ſentio, quod *ne* per vocalem ſcriptum fuit, cum per dipthongon ſcribi debuiſſet ſic *nae*: hoc enim additum amatoris ſtultitiam acrius exagitat: pronomen autem *tu* quod in locum particulae *ne* ſubſtituiſti, poſt *nae* collocandum puto, pro *recte* denique repono APTE, quod Librarius ſupra APTE corrigendi cauſa adjectum exiſtimans, imprudenter in contextum intruſit. Itaque ſic verſum conſtituo;

Hoc illi apte. *nae tu corporis optima Lyncei*

Et ex eodem fonte, id eſt ex particula *ne*, nata ſunt *contemplare*, *contemplere*, pro quibus cum Eraſmo reſcribendum *contemplans*, quod conſtructionis ratio poſtulat: denique illud *ſpectes*, quod inde quoque manavit, tecum in *ſpectas* mutandum cenſeo. Illud quoque animadvertendum *apte* huic loco aptius eſſe quam *recte*; tum quia minus tritum eſt, tum quia melius exprimit emptorum ſolertiam in equorum vitiis a virtutibus ſecernendis. Illud quoque nonnihil prodeſt, ad lectionem *apte* tuendam, quod Horatius Lucilium imitatus videtur: in cujus fragmentis hoc in ed. Douſae legitur, *Hoc tu apte.* Atque huc pertinet, quod tu adnotas ad hunc Sermonem v. 37.

Au-

Audire eſt operae pretium, procedere recte
Qui moechos *non voltis*,

Parodiam hanc eſſe ex verſibus Ennianis monent Scholiaſtae; qui Ennii verba ſic citant:

Audire eſt operae pretium, procedere recte
Qui rem Romanam, Latiumque augeſcere vultis.

Unde facile erat divinare, quo propior eſſet & perfectior imitatio, ſic potius ſcripſiſſe Noſtrum,

procedere recte
Qui MOECHOS *non vultis*

Ad extremum, illud neminem remoretur, quod *apte* reponendo pro *recte*, & *nae tu* pro *ne*, verſus poſt ſecundum pedem caeſura deficitur; quicquid enim duri habet haec verborum collocatio, id omne eliſio vocalis in *illi* & duae voces monoſyllabae poſt *apte* poſitae emolliunt; quod aures eruditae veriſſimum eſſe judicabunt.

Septima emendatio refellitur.

Art. Poët. v. 65.

Regis opus; ſteriliſque palus *prius aptaque remis*

Cum ex analogia & pronunciationis lege Palus *poſteriorem ſyllabam producat; ut* Virgilio

Limoſoque palus *obducat paſcua Junco.*
Cocyti tardaque palus *inamabilis unda.*
Dicitur & tenebroſa palus *Acheronte refuſo.*
Atque hinc vaſta palus, *hinc ardua moenia cingunt*;

gravat profecto Flacci manes ſceleratus hic verſiculus, atque ignoratae premit artis crimine turpi: *ubi ſyllaba iſta Muſis indignantibus corripitur.*

Regis opus ſteriliſque diu palus *aptaque remis*

Vi-

Vicinas urbes alit, & grave ſentit aratrum.

Neque vero ullum in codicibus ſubſidium eſt: hi omnes & Grammatici etiam veteres jam a mille annis lectionem hanc & notarunt & propagarunt. Quid igitur fiet? favebunt, ut bene ominor, qui Horatio bene volunt, ſi & ipſe in re jam deplorata & depoſita quid poſſim tentavero. Principio igitur nemo a me impetrabit, quin Grammaticos illos vitioſis exemplaribus deceptos eſſe credam: qualia pleraque Virgilii erant, teſte Gellio, diu ante quam illi naſcerentur. Incredibile enim eſt, ut palus *corripuerit Flaccus, contra ſermonis genium & normam, omniumque aliorum morem, tam profecto quam ſi* Virtus *aut* Tellus *breviter eum extuliſſe contenderis. Poſito igitur & conceſſo, locum, ut hodie fertur, in mendo cubare; ſic reſtituendum & reponendum arbitror:*

> *Regis opus; ſterilisVE palus,* PRIUS *aptaque remis*
> *Vicinas urbes alit & grave ſentit aratrum.*

ubi illud ve *ex Voſſiano, Graeviano, & Batteliano adſciſcimus;* Sive *Neptunus* ----- *ſterilisve palus* ---- ſeu *amnis curſum mutavit:* ut Carm. IV. 2.

> Seu *Deos regeſ*que *canit* ----
> Sive, *quos Elea domum reducit* ----
> *Flebili ſponſae juvenem*ve *raptum plorat.*

Que *vero nullum hic locum habet; ut mirer tot editoribus ſomnum obrepſiſſe.* Atqui cauſa non erat, cur hanc lectionem e tuis codicibus in re apertiſſima produceres; cum notiſſimae editiones Lambini, Cruquii, Tor-

Digitized by Google

Torrentii, Dacerii, & Rodelii *ſteriliſve* exhibeant. Deinde addis, *ut* DIU *in* PRIUS *mutaremus*, *& vocum ſimilitudo*, *praeſertim ubi* prius *compendioſe ſcribitur*, *& ipſa ſententia monuerunt. Hoc enim ſine dubio voluit Flaccus*, *Quae* ab omni aevo *ſterilis palus fuerat*, *nunc exſiccata ſegetes fert. Atqui in hac ſententia rectius* prius palus *dixeris*, *quam* diu. *Noſter* Carm. I. 3.

> *Semotique* prius *tarda neceſſitas*
> *Leti corripuit gradum.*

Prius ſemoti, *nempe ab ipſis humani generis primordiis*. Ovid. Metam. I. 135.

> *Communemque* prius, *ceu lumina ſolis & auras*
> *Cautus humum longo ſignavit limite menſor.*
> *Quaeque polo poſita eſt glaciali proxima ſerpens*,
> *Frigore prima* prius, *nec formidabilis ulli*,
> *Incaluit.*

laudabile fuiſſet ad hunc locum admonuiſſe Johannem Oldham & Thomam Creech adverbium *prius* non *diu* in Anglicum ſermonem vertiſſe, ſic enim horum Poëtarum prior vertit;

> *And Sow*, *and Reap*, *where they* before *might Row*;

poſterior ſic,

> *E'en that drain'd Lake*, *where* former Ages *row'd*,

Verum *prius* in contextum non debuiſſe induci non una ſola ratio perſuadet: nam primo illud *prius* & ſibilum auribus ingratum & homocoteleuton inducit, quae vitia ſtudioſe Horatium vitaviſſe frequenter admones.

Serm.

Serm. Lib. I. VII. v. 20.

Compoſitus melius cum Bitho Bacchius.

Ubi *omnes*, inquis, *editiones praeferunt* compoſitus; *dimidia autem fere pars codicum ſic exhibent*,

Compositum *melius cum Bitho Bacchius.*

Et utrumque quidem ſat bene habet, quantum ad conſtructionem attinet. Sed omnium, ni fallor, optime codex Magdalenenſis;

Compositi *melius cum Bitho Bacchius.*

Certe hoc pacto evitabis ſibilum illum auribus ingratum, compoſitus melius. Hic ſilentio V. Cl. verecundia tua praetereunda non eſt, nam praeter ſolitum non mones te prius legendum eſſe *compoſiti* vidiſſe, quam codicem Magdalenenſem inſpexiſſes. Ego ſane, quamquam parum acute cernam, ante hos duodecim annos ad oram exemplaris mei Pandectarum ad l. 40. quae eſt Alfeni, de Uſu & Uſufr. Leg. adnotavi, hinc apud Horatium Serm. L. VII. v. 20. Pro *compoſitus* repone *compoſiti*, quam emendationem ante hos undecim annos cum duobus amicis communicavi: verba antiquiſſimi & elegantiſſimi Juriſconſulti ſunt haec: Illi cum illo *habitationem lego*, *perinde eſt*, *ac ſi ita* illi & illi *legaſſet*. Huc ſpectat, quod ſcribit Quinctilian. Inſtitt. Oratt. L. IX. c. IV. *Collocatio autem verba jam probata*, & *electa*, & *velut aſſignata ſibi debet connectere: nam vel dura inter ſe commiſſa potiora ſunt inutili-*

Digitized by Google

tilibus. Tamen & eligere quaedam, dum ex iis quae idem ſignificent, atque idem valeant, *permiſerim: . . . . . ſed & figuris* mutare & caſus & numeros, *quorum varietas frequenter gratia compoſitionis adſcita, etiam ſine numero ſolet eſſe jucunda.* Et ita Horatius ſingularem numerum elegit, Carm. Lib. I. XXXV. v. 36.

Liquimus? unde manum juventus

Quod tu *rectius eſſe* dicis, *quam ut invenuſtum homoeoteleuton fiat*, manus juventus, *ut pleraeque editiones habent.*

Item Epiſt. Lib. I. II. v. 32.

Ut jugulent hominem, *ſurgunt de nocte latrones:*

Ubi *hominem*, repudiato *homines*, elegit, ne prima tertii pedis ſyllaba & poſtrema ultimi concinerent, *homines latrones.* Illud monito clariſſimi Rhetoris addendum, in nominibus ſubſtantivis quorum duplex eſt genus, adjectiva eo ponenda eſſe genere, quod in hoc vitium non cadat, & ita Horatius Carm. Lib. II. XI. vv. 16. 17.

Aſſyriaque *nardo*,
Potamus uncti?

Epod. XIII. v. 8.

Reducet in ſedem vice. nunc & Achaemenio
Perfundi nardo juvat, & fide Cyllenea,

Illud quoque addendum, in dictionibus, quarum varius eſt exitus, eum eligendum eſſe exitum, qui aures ſimili verborum caſu non offendet, & ita Horatius Epiſt. I. II. v. 17.

Rurſum, *quid virtus, & quid ſapientia poſſit*,

Item Epiſt. Lib. II. I. v. 85.

Inberbi *didicere*, *ſenes perdenda fateri.*

Ubi tu ais, *Ita Cruquius ex vetuſtiſſimis ſuis codicibus recte edidit, ut & Art. Poët. v. 161. ex optimo omnium quotquot ſunt Blandinio reponendum eſt*;

Imberbus *juvenis tandem cuſtode remoto.*

Ubi hebeti aure eſt, quem vulgatum illud Imberbis juvenis *ſibilante ſuo homoeoteleuto non offendit & vulnerat.*

Ex quibus facile intelligitur, te vocem *prius* temere & inconſulto in contextum recepiſſe: quod autem addis, *ut* diu *in* prius *mutaremus, & vocum ſimilitudo, praeſertim ubi* prius *compendioſe ſcribitur, & ipſa ſententia monuerunt*, omnino improbandum eſt: quoniam veterum Grammaticorum temporibus *prius* via compendiaria non ſolebat ſcribi: idque indicant antiqui codices Virgilii & Horatii, in quibus *prius* plene ſcriptum legitur: praeterea, quoniam, etiamſi *prius* contracte ſcribi ſolitum fuiſſet, ex eo tamen ſcribendi modo naſci non poterat ejuſmodi ſimilitudo, quae Librario *diu* pro *prius* ſcribendi cauſam praeberet. Jam quod ad ſententiam attinet, ea etiam voce *prius* non addita, perfecta eſt: quod ſic tamen accipi nolim, quaſi *prius* hujus loci ſententia rejiciat; nam, ſi haec emendatio obſervatione ejuſmodi firmaretur, quae alii cuicunque viam praecluderet, eam probandam eſſe cenſerem. Neque illud impedire dicerem, quod in verſu, qui proxime ſequitur, parti-

Digitized by Google

particula *nunc* non extaret, ut in illo Virgilii,

Puppibus illa prius *patulis* nunc *hoſpita plauſtris.*

quoniam uſus optimorum Auctorum *nunc* poſt *prius* neceſſario addi non praecipit. Verum tantum abeſt ut *prius* obſervatione, quae alias emendationes quaſcunque damnet, nitatur, ut tres obſervationes huic loco paene depoſito ac deſperato majore veri ſimilitudine aliquid auxilii adferant, quam adfert tua obſervatio, quae *prius* legi poſtulat. Earum prima oſtendit Interpolatorem, quia adverbii *dudum* poteſtatem ignoravit, id in *diu* mutaſſe; deinde *actaque* pro *aptaque* legendum,

Regis opus; *ſterilisve palus* dudum actaque *remis*
Vicinas urbis alit: *& grave ſentit aratrum.*

quae emendatio oppoſitionem inducit elegantiſſimam: nam ut verba *vicinas urbis alit* opponuntur verbo *ſterilis*, ita *grave ſentit aratrum* ſcite verbis *actaque remis* opponuntur. Palus autem recte remis acta dicitur.

Val. Flaccus Lib. II. v. 77.

Certatim remis agitur mare:

Illud Interpolatorem fefellit, quod meminerat Horatium iter feciſſe per Pomtinam paludem, & propterea *dudum* loco non convenire exiſtimavit. De cujus adverbii vi conſule Theſaurum Fabri.

Secunda obſervatio, *palus* pulſataque *remis* legendum indicat; docet enim *puls* in *pulſataque* propter vicinitatem ſcripturae *palus p.ls* abſorptum, & idcirco *ataque* mutatum in *ap-*

Digitized by Google

taque & *diu* adſumptum verſus explendi gratia, verbum autem *pulſataque* oppoſuit Poëta verbis *grave ſentit aratrum: paludem* autem bene dici *remis pulſatam* & res ipſa loquitur & oſtendunt exempla.

Ovid. ex Ponto Lib. III. Epiſt. I. v. 1.

Aequor *Iäſonio* pulſatum remige *primum*,

Idem ex Ponto Lib. IV. X. v. 33.

Ut, *qua* remus *iter* pulſis *modo fecerat* undis,

Propert. Lib. I. Eleg. XX. v. 48.

Compreſſa, *&* *Lerne* pulſa tridente palus.

Tertia obſervatio reponit *palus* agitataque *remis*, cauſamque peccandi oſtendit duplicem; unam, Librarius nimirum *ta* in voce *agitataque*, quod bis ſcribere debuerat, ſemel ſcripſit; alteram fuiſſe hanc quod Librarius *actaque*, quod interpretandi cauſa, vel ſupra vocem *agitataque*, vel ad oram libri adſcriptum fuit, corrigendi cauſa additum putavit; atque haec obſervatio ad vitia tollenda plurimum prodeſt; ejuſque auxilio adjutus tres quatuorve locos Horatii ſanavi; de quibus vide Notas noſtras. Quaenam tandem ex his tribus emendationibus eligenda ſit dixi in iiſdem Notis.

Illud hic adjiciendum, poſſe alicui in mentem venire legendum *verſataque*.

Val. Flaccus Lib. I. v. 450.

Inſurgit tranſtris, *&* remo Nerea verſat
Canthus,

Item forte quis conjiciat poſt *palus* addendum *nata*, ut legatur

Ste-

Sterilisve palus nata *aptaque remis*.

Item forte quis malit pro *aptaque* reponere vel, *& idonea*, vel *& commoda*, ut *aptaque* ex enarratione in contextum irrepſerit. Verum his tribus emendationibus illas a me modo commemoratas veri ſimiliores eſſe ſatis manifeſtum eſt.

Octava emendatio refellitur.

Art. Poët. v. 441.

Et male tornatos *incudi reddere verſus.*

Jam diu eſt, inquis, *cum elegantioris ingenii homines Horatium culpant*; *non quod* tornatos verſus *dixerit*, *ſed quod* incudi reddere *parum caute addiderit*; *reſque plane diverſas*, Tornum *&* Incudem, *una conjunxerit*;

Et male tornatos incudi reddere verſus.

Recte illi quidem & vere: quid enim torno cum incude? Siquidem hoc eſt, quod ipſe jam dixerat,

Delphinum ſilvis appingere, fluctibus aprum.

Ego vero Venuſinum noſtrum, ſubtili, ſi quis alius & caſtigato judicio Poëtam, extra culpam eſſe dico; codices autem a dormitantibus Librariis eſſe depravatos. Videamus locum integrum:

Quintilio ſiquid recitares, corrige ſodes
Hoc, aiebat, & hoc. melius te poſſe negares,
Bis terque *expertum fruſtra? delere jubebat,*
Et male tornatos *incudi reddere verſus.*

Enimvero corrigendum aio,

Et male TER NATOS *incudi reddere verſus*,

Ubi leviſſima ſane mutatio eſt, ſententia vero jam clara & perſpicua. Quereris, inquit Quintilius, te bis TERque *fruſtra conatum verſus iſtos lambendo & fingendo meliores reddere? Tu vero, qui* TER *male exierunt verſus prorſus abjice: neque jam limam amplius adhibe ad eos fruſtra poliendos, ſed incude potius utere formandis & fabricandis novis. Recte autem*, Verſus ter MALE NATOS: *ita Noſter alibi*, Epiſt. II. I. v. 223.

Choerilus, incultis qui verſibus & MALE NATIS.

Haec ubi ante ſedecim ferme annos in Notis ad Callimachum, & iiſdem pene verbis dixeramus; niſi quod plura nunc Veterum loca producimus; cum ibi obiter tantum, hic rem ex induſtria agamus: diverſis, ut fieri ſolet, hominum judiciis conjectura haec excepta eſt. Plures & in his omnes χαριέστεροι *& honeſtiores aſſentire & plaudere;* GRAEVIUS *praecipue* ὁ μακαρίτης, *& natura & diuturno uſu judex acerrimus, ut quantivis eam pretii ſodalibus laudare; literis ad me datis* IV. Non. Dec. MDCCII, non conjecturam *dicere*, ſed certam emendationem; quam qui videat & non probet, eum in his rebus caeciorem eſſe quavis talpa. *Recte ſane natura comparatum eſt, ut in re literaria ſemper vilis annona ſit iſtiuſmodi Talparum; qui doctis atque oculatioribus & oblectamento ſint, & comparatione pretium famamque augeant.*

Etſi tibi V. Cl. *ter male natos* recte legi concederetur; ea tamen emendatio, ut mihi vide-

videtur, exiguam auferret laudem. Nam cum Poëta verſu proxime praecedente dixerit *Bis terque expertum*, quid, quaeſo, facilius potuit eſſe Critico, qui *tornatos* corrigendum eſſe in mentem induxiſſet, quam *tornatos* in *ter natos* mutare? Verum rem ipſam perpendamus. Illud ſane omnino probandum videtur *tornatos* Horatio non debere adjudicari, ab illo enim vitio, quod graviter reprehendit Quinctilianus Inſt. Oratt. Lib. VIII. c. 6. fuit alieniſſimus. *Nam id quoque*, inquit Quinctilianus, *in primis eſt cuſtodiendum, ut, quo ex genere coeperis tranſlationis, hoc deſinas. Multi enim, cum initium a tempeſtate ſumpſerunt, incendio aut ruina finiunt.* Nunc an hac tua correctione, Flaccum ab hoc errore abſolveris quaerendum. *Recte autem*, ais, verſus ter male natos: *ita* Noſter alibi. Epiſt. II. I. v. 233.

Incultis qui verſibus & male natis

Atqui hic more ſolito exemplo uteris alieniſſimo, nam verſibus *ter* male natis ibi non legitur, quod unum recte dici probandum erat; quis enim ignorat per Metaphoram *verſus male natos* apte dici? at nemo, quod ſciam, dixit *verſus ter male natos*, quin immo ne recte quidem poſſe dici videtur: quoniam, cum verbum *naſcor* proprie de animalibus dicatur, neque ea ter naſcantur, eidem verbo ad rem inanimatam tranſlato, ne tranſlatio diſſimilis ſit, illud *ter* adjici non debet. Verum pone *verſus ter male natos* ſcite dici, illud tamen non

Digitized by Google

recte dicetur *verſus ter male natos incudi reddere*; nam ſi *tornus & incus* male conjunguntur, ut tu poſt alios recte animadvertis, certe res vita praeditas cum incude conjungere quod tua facit emendatio, non poteſt non eſſe ineptiſſimum.

Cum autem hoc argumentum, quod tuam emendationem penitus evertit, cum Joſepho Addiſon excellentiſſimi ingenii viro communicarem, ei quoque idem in mentem veniſſe animadverti: neque ſua laude fraudandus eſt Vir egregius Carolus Stanhope, is enim *verſus male ter natos incudi reddere* eadem ratione adductus ferri non poſſe obſervaverat. Deinde Sidonius Apoll. a is, IX. 13. *Praeter hoc poſcis, ut* Horatiana incude *formatos Aſclepiadeos tibi quoſpiam, quibus inter bibendum pronunciandis exerceare, tranſmittam. Et IV.* 1. *Cujus* Philoſophica incude *formatus, nunc varias nobis rerum ſermonumque rationes, ipſo etiam qui docuerat probante, pandebas. Ubi nota ſodes illud* Formatos *&* Formatus. *Idem verbum habet Acron ad locum: Ferramentum male ductum redditur incudi, & bene ibi formatur. Et* Porphyrion: *Incudi reddere, hoc eſt, Denuo verſus ſcribere, quomodo ferramentum* male formatum *incudi redditur, ut ibi reformetur. Et vetus Annotator in Graevii codice: Tractum eſt a Fabris, qui ferramentum* non bene formatum *iterum incudi committunt. Hinc jam tibi faciliimam correctionem promam: quam* mira-

mirabor equidem, ſi Gronovius & Gronoviani noſtrae illi non anteferant,

Et male formatos *incudi reddere verſus.*

Quid? tune promes facillimam correctionem *formatos?* Nonne A. 1710. Petrus Coſte, politus Scriptor, in Notis ad P. Tarteronis verſionem Gallicam e Menagii Obſervationibus ad elegantiſſimi Lyrici Malherbe Poëmata monuit Guyetum, pro *tornatos* repoſuiſſe *formatos*, eamque emendationem Menagium firmaſſe Acronis Nota ad v. 446.

Incomtis allinet atrum
Tranſverſo calamo ſignum,

Nota autem Acronis a te non memorata, eſt haec. *Notam culpae ſignificat: nam notare verſum male formatum dicimus.* Ubi hoc addit Menagius *formatos* a Librariis in *tornatos* mutatum, quod hoc, quam illud notius eſſet ac vulgatius. Praeterea idem Vir doctus P. Coſte e Sidonio locum illum *poſcis ut Horatiana incude formatos Aſclepiadeos* &c. produxit, adjecitque Sidonium ad hunc locum Horatii alluſiſſe; & merito, nam ſi is in ſuis codicibus inveniſſet *tornatos*, *formatos* non ſcripſiſſet. *Verſus* autem *male formatos incudi reddere*, duplici tranſlatione recte dictum oſtendunt loca quae ſubjiciam.

Virgil. Aeneid. Lib. VIII. v. 426.

His informatum *manibus jam parte polita*
Fulmen erat;

Et ibidem v. 447.

Digitized by Google

Ingentem clipeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum:

Claudian. in Eutrop. Lib. II. vv. 71. 72.

multiſque gemunt incudibus aera
Formatura *nefas*.

Cicero de Oratore Lib. III. c. 49. *formanda vobis oratio eſt*. Quinctilianus Inſt. Oratt. Lib. X. cap. VIII. *multo ac fideli ſtilo ſic* formetur oratio. Idem Lib. XII. c. 6. *Sed praecipue tamen Apollonio Moloni, quem Romae quoque audierat, rurſus* formandum *ac velut recoquendum dedit*.

Suetonius in Octavio cap. 89. *Nam & ſi quid res exigeret, Latine* formabat, *vertendumque alii dabat*. Et in Domitiano cap. 20. *epiſtolas, orationeſque & edicta alieno* formabat *ingenio*.

Ex quibus omnibus neceſſario concluditur, non ſolum illud *verſus ter natos incudi reddere* improbandum eſſe, quia in idem incurrit vitium, in quod incurrit vulgata lectio *tornatos*, verum etiam aliter hunc locum ſanari non poſſe, quam *formatos* reponendo pro *tornatos*, praeſertim cum *formare* proprie de iis quae incude formantur & tranſlate de verſibus dicatur. Vide tamen Notas noſtras in Horatium.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Jactantia R. B. caſtigatur.

CArm. Lib. I. XVIII. v. 7.

At *ne quis modici tranſiliat munera Liberi,*

Graevianus, inquis, *noſter cum Leidenſi*, *Batteliano*, *Petrenſi*, *&* *Galei* AC. *Quod omnino elegantius eſt & Horatianum. Sic* Epiſt. I. 19. v. 26.

Ac *ne me foliis ideo brevioribus ornes.*

ut ubi omnes fere codices: tamen & illic quoque AT *editiones occupavit.* Epiſt. I. 1. v. 13.

Ac *ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter.*

Epiſt. II. 1. v. 208.

Ac *ne forte putes, me quae facere ipſe recuſem,*

Ovid. Remed. Am. 465.

Ac *ne forte putes nova me tibi condere jura,*

Sic ibi editio prima & duo ſcripti, ut fatetur praeſtantiſſimus Heinſius. Vulgo ET. *Ipſe nullo praeeunte codice repoſuit* AT. *Non dubito, quin, ſi haec noſtra vidiſſet, mutaſſet factum.* O puerilem jactantiam! ex aliorum enim ſcriptis facile diſcere poterat Nic. Heinſius ibi reponendum AC.

Turſellinus de Particulis. *Ac & Atque in principiis periodorum dignitatem habent: hoc differunt, quod Ac ponitur inſequente quavis liquida praeter* c *&* q (adde & praeter *g*, ſunt enim *c* & *g* cognatae literae) *tum enim pro* Ac *repo-*

reponitur Et. Atque *uſurpatur inſequente vocali.* Idem habent Durrerus & Pareus in Libris qui inſcribuntur *De Particulis Linguae Latinae*, quorum hic multis locis e Cicerone adductis AC ſervire initiis comprehenſionum oſtendit. Vides igitur uſum hujus particulae, non ſolum exemplis ante illuſtratum, verum etiam, ut in ſententiarum initiis, quod tu non obſervaſti, adhibeatur, ab illis tribus Auctoribus praeceptum. Praeterea id in Notis tuis animadverti, te, ubi particulam *Ac* elegiſti, in eligendi cauſa erraſſe. Carm. Lib. I. VII. v. 13.

Et praeceps Anio ac *Tiburni lucus, & unda*

Omnes fere codices habent Anio AC, *non* ET. *Quod ſane venuſtius eſt, quam ut in uno verſiculo* ET *ter repetatur.* Male. *Ac* enim non vero *Et* ideo ibi ſcribendum, quoniam ſequitur verbum incipiens a litera *T* Tiburni,

Carm. Lib. II. XIII. v. 32.

Denſum humeris bibit aure vulgus.

Video, ais, *omnes Manuſcriptos conſtanter in hanc lectionem conſpirare. Quo tamen illud* humeris? *Utique ſatis eſſet* denſum vulgus. *Sed hoc facile condonari poſſet; ſic enim &* Ovidius Metam. XIV. 360.

Juſſit & in denſum trabibus nemus ire videri:

cum denſum nemus *per ſe ſufficeret. Illud pejus; quod* aure *hic epitheto deſtitutum eſt; unde ſicca & jejuna fit oratio, neque aures implet. Senſit hoc praeſtantiſſimus Nic. Heinſius, qui in ora ſui codicis annotavit,* Forte legendum, HILARI. *Ingenioſe: ſed & propius licet ad vulgatam lectio-*

Digitized by Google

lectionem accedere, *ſi reponas*, Denſum HUMI-LI; *ut ad* ſilentium *illud* ſacrum & admirationem *referatur. Melius tamen*, *opinor*, *ſententiae conſuluiſſet Noſter*, *ſi ſic ſcripſiſſet*;

Denſum avida *bibit aure vulgus.*

Ducunt huc nos Scholiaſtae veteres: quorum unus, BIBIT, avide audit; *alter*, cupidiſſime audit. Claudianus in Praef. Conſ. Stilich. v. 47.

haec nullis avidam *rumoribus* aurem
Pandit.

Ovid. ex Pont. III. 4. v. 19.

Nos ea vix avidam *vulgo captata per* aurem
Scripſimus.

Immo Scholiaſtas veteres in ſuis codicibus *avida* non habuiſſe ex eo apparet, quod verbum *bibit* ſic exponunt, *avide audit*, *cupidiſſime* audit, & Commentator Cruquianus ſic ſcribit, *Bibit aure*, audit avidiſſime, & recte illi; *bibit* enim majus quiddam denotat quam ſimplex *audit*. Errandi cauſam tibi praebuerunt, opinor, loci, quos e Claudiano atque Ovidio profers. Hoc autem peccatum tibi condonandum puto, quia ex inſito tibi vitio locos ex locis emendandi ortum eſt; illud neminem tibi condonaturum arbitror, quod ſcribis, *melius ſententiae conſuluiſſet Noſter ſi ſic ſcripſiſſet* Denſum avida: haec enim ſcriptura Flacco ſplendidiſſimam eripit figuram, quam Hypotypoſin appellant: enimvero ne pictor quidem ullus maximam umbrarum multitudinem ad Alcaeum audiendum & Sapphonem confluentium ob oculos evidentius ponere poſ-
ſet,

Digitized by Google

ſet, quam ſi umbras ita ſtipatas atque confertas adumbraret; ut humeri humeris haererent: quod ipſum haec verba *Denſum humeris* egregie exprimunt.

Deinde. Ad Carm. Lib. III. XXI. v. 5.

Quocumque lectum nomine Maſſicum
Servas,

Hoc eſt, inquis, *ut nunc quidem explicatur*, cujuſcumque Conſulis nomen & annum feras. *Quid audio? nonne jam dixerat*, O nata mecum Conſule Manlio? *quomodo ergo nunc*, Quocumque Conſule nata? *Quanto his meliora protulit Scholiaſtes Acron, ſi bene monenti obtemperaſſent*. Quocumque nomine ex omnibus ſupradictis, ſive ad *jocos*, ſive ad *querelas*, *& cetera. Nihil verius: aut enim haec verborum ſententia eſt, aut nulla eſt. Dixerat, ſeu* querelas, *ſive* jocos, *ſeu* amores, *ſive* ſomnum geris, ô Teſta; *deinde infert, quocumque ex his nomine Maſſicum ſervas*. Deinde addis, Quocumque nomine, *hoc eſt*, quocumque titulo, quacumque conditione. *Sic* eo nomine *paſſim occurrit:* quod locis ex Tacito & Suetonio allatis oſtendis. Atqui ex Acrone Landinus ante te haec protulit, quam interpretationem ſecuti ſunt Minellius, Juvancius ac Tarteron. Juvancii verba ſunt haec, ed. Pariſ. MDCXCVI. *Non hic deſignatur nomen Conſulis: illud enim diſertis verbis jam attulit Horatius: haec igitur eſt ſententia; quaecumque fuerit cauſa & ratio cur vinum in te conderetur*. Caſtalio quoque Obſervationum Decade V.

Cap.

Digitized by Google

Cap. II. haec verba *quocumque* nomine recte expoſuit: *Nos exploſa*, inquit, *Lambini, aliorumque explicatione inepta*, *quocumque nomine interpretamur*, *quacumque gratia*, *ſive hilaritatis comparandae*, *ſive ſomni conciliandi*. Idem docet Briſſonius in Libro de Verbor. ſignificat. in vocabulo *Nomen*. NOMEN, ait, *interdum cauſam ſignificat*, ut *Acceſſionis* nomine, *Ceſſationis* nomine, *Culpae* nomine &c. Et Seneca Epiſt. CXIX. Nomine *nullo melius illam meruiſſe de nobis*. Illud hic, quod te fugit, addendum: His verbis *quocumque nomine* Poëta videtur alluſiſſe ad formulam, qua de certo nomine Deorum dubitantes dicere ſolebant QUISQUIS ES. Servius ad Aeneid. Lib. IV. v. 576.

ſequimur te, ſancte Deorum,
Quiſquis es,

ſecundum Pontificum, inquit, *morem qui ſic precantur, Jupiter omnipotens vel quo alio nomine appellari volueris.* Deinde ſic ſcribis; *Quod ſi quid in verbis mutatum velis; eſt in promptu & ad manum, quod commode ſubſtitui poſſit. Compellat enim* Teſtam *hic Noſter, tanquam ſi* Dea *quaepiam fuerit, ut vere obſervavit Dacerius*, Seu geris querelas, ſive jocos, *vel aliud quid: unde ego ſic potius, quod ſequitur, intuliſſem, verbis quidem aliis, ſed ſenſu eodem;*

Quocumque FOETUM NUMINE *Maſſicum*
Servas; moveri digna bono die.

quocumque numine foetum, *hoc eſt*, *quacunque poteſtate praeditum*, *ſive quae* querela *excitet*,

tet, *ſive quae* amores &c. *Et juſta*, *ni fallor*, *metaphora eſt*, *& ad audacem Flacci indolem accommodata*. *Paucis tamen*, *opinor*, *probabitur*, *quia conjecturae nomine nunc venit : quod ſi e Manuſcripto aliquo aliunde prodiret*; *quibus plauſibus exciperetur* !

Quid ? tu Horatii judicium tui modulo metiri audes ? O indignum facinus ! Ille profecto ita prudenter & circumſpecte tranſlata adhibuit, ut nuſquam in extenuato dicendi genere audaci Metaphora uſus ſit. Tu vero in hoc carmine, quod circa *amphoram*, materiam humilem verſatur, decori ignarus excelſiorem tranſlationem loco convenire putas, nempe *foetum numine*. Dices forte idcirco audaci tranſlatione hoc recte exprimi, quod Horatius Amphoram *hic compellat tanquam Dea quaepiam fuerit :* & hoc quidem recte facit; verum non idcirco materia hujus carminis deſinit eſſe ſummiſſa & humilis, quod intelligenti vel ex eo apparebit, quod in toto ejus contextu non inveniatur audacior tranſlatio quam invenitur in Sermonibus & Epiſtolis. Nam quid hoc in genere hic habet quod altius ſonet quam *Addis cornua pauperi* & *iratos apices ?* nonne Serm. Lib. II. I. v. 24.

ſaltat Milonius, *ut ſemel* icto
Acceſſit fervor capiti

Nonne inquam *capiti icto* vapore ſcilicet vini aeque audacter dictum eſt, atque eſt illud *addis cornua pauperi*; & Serm. II. VIII. dixit *iratum ventrem* : ſed in hujuſmodi exemplis tempus

Digitized by Google

pus conſumi non convenit: illud tua magis refert diſcere quod de tota hac re Cicero in Oratore c. 24. ſcribit, *Ergo erit ille tenuis Orator, modo ſit elegans, nec in faciendis verbis audax & in transferendis verecundus.* Et paulo poſt, *Itaque illud indecorum (quod quale ſit ex decoro debet intelligi) hic quoque apparet, cum verbum aliquod altius transfertur, idque in oratione humili ponitur, quod idem in alia deceret*; &c. 29. *Is enim eſt eloquens, qui & humilia ſubtiliter, & magna graviter, & mediocria temperate poteſt dicere*; & c. 36. hoc idem fere repetit. *Is erit ergo eloquens, qui ad id, quodcunque decebit, poterit accommodare orationem, quod cum ſtatuerit, tum, ut quidque erit dicendum, ita dicet: nec ſatura jejune, nec grandia minute, nec item contra, ſed erit rebus ipſis par & aequalis oratio.* Et convenienter his *foetus* divinus Poëta, a quo tu hanc tranſlationem accepiſti, ſcite uſus eſt, Aen. Lib. I. v. 51.

Nimborum in patriam, loca foeta furentibus auſtris

& Aen. II. v. 237.

ſcandit fatalis machina *muros*,
Foeta *armis*.

Et ſimiliter Silius Lib. XI. v. 203.

Multa foeta *gerens* ira *praecordia*, *Poenus*

& Lib. XIII. v. 592.

Non ipſa Alecto, *nec* foeta furore *Megaera*

& Lib. XVII. v. 380.

Novi foeta *viri* bello *praecordia*:

Reliquum eſt V. Cl. ut, quod inſcitiſſime &

Digitized by Google

& arrogantiſſime ſcripſiſti, mutes, & illud Horatianum *lectum nomine*, tuae lectioni *foetum numine* praeferas, & quod *plauſibus excipiendum* judicaſti ſibilis explodendum eſſe agnoſcas.

Deinde ad Carm. Lib. III. XXIV. v. 39.

Durataeque ſolo nives

Numquam, inquis, *mihi placuit* ſolo, *quamvis omnes ubique codices lectioni huic ſuffragantur.* Primo, otioſe videtur additum, *neque quicquam ſententiae confert. Ubi enim niſi in* ſolo, *jacebunt nives? an periculum erat, ne ſub terris, vel in caelo aut mari duratas eſſe crederemus? Utique ſatis eſſet* duratae nives, *omiſſo* ſolo: *ut* Livius XXI. 36. Ut pleraque, velut pedica capta, haererent in *durata* & alte concreta glacie.

Deinde, ex Linguae Latinae indole, duratae ſolo, *non* ſuper ſolo (*ut hic vulgo accipiunt*) *ſed* a ſolo *tanquam cauſa & inſtrumento duritiei, interpretari oportet: quo nihil magis abſurdum. Certe quotieſcumque* duratus *ablativum poſt ſe trahit, ibi cauſſam ſignificari jam monitus deprehendes. Ita* Curtius III. 6. Haſtis igne duratis. Deinde, poſt locos aliquot ex Virgilio, aliiſque quibuſdam Auctoribus adductos in quibus gelu *nonnullas res* durari legitur, tandem ſic ſcribis; *Verum omnem rem conficit inſignis Julii Firmici locus* Aſtrolog. I. 4. de Zonis: Harum Zonarum quae media eſt, coruſci ſolis incenſa luminibus, & ſempiterni ardoris aduſtione torrida, ignito colore perpetui rubo-

ruboris inficitur, duae vero quae extremas mundi continet partes, dextris laeviſque lateribus inhaerentes, caeruleo colore ſignatae, atris ſemper nubibus (lege imbribus) inundantur, & concreta (lege concretae) glacie & ſempiternis pruinis, & duratis gelu nivibus obſidentur. *Quippe ut priora illa manifeſte de Virgilio ſumta ſunt*, Georg. I. v. 233.

> *Quinque tenent caelum Zonae; quarum una* coruſco
> *Semper* ſole rubens, *&* torrida *ſemper ab* igni:
> *Quam circum* extremae dextra laevaque *trahuntur*
> *Caerulea glacie concretae atque imbribus atris.*

Ita poſtrema iſta duratis gelu nivibus *ex hoc Horatii loco clare petita ſunt. Nunc, & nega nobis* ἰυστοχίαν *adfuiſſe: quamvis eum illa ſcriberemus, haec Firmici verba de memoria exciderant. Nam certe hinc tam compertum eſt de noſtra emendatione, quam ſi ex mille annorum codice nunc erueretur.* Loca Auctorum in quibus *nives*, *aequor*, & ſimilia *gelu*, vel *frigore durata* dicuntur, a te diligenter congeſta, non adpoſui: quoniam hoc elocutionis genere nihil eſt uſitatius, nihil tritius. Neque vero ex iis locis concludas *duratae nives*, duritiei cauſſa, ſcilicet *gelu*, non addita, Poëtae Lyrico dicere non licuiſſe. Nam Horatius Carm. Lib. I. IV. v. 10.

> *Aut flore, terrae quem ferunt* ſolutae.

ſolutae abſolute poſuit, ubi Porphyrion *temperie & aeſtu Veris ſolutae*; & Carm. II. XV. vv. 9. 10.

Tum ſpiſſa ramis laurea fervidos
Excludet ictus.

Ubi tu ſic ſcribis; *Noſter figuratius*, fervidos ictus, *nulla* ſolis *mentione facta*; *quae Dithyrambica pene audacia eſt.* Tibullus quoque *unda durata* dixit, cauſſa non adjecta, Lib. IV. I. vv. 155. 156.

Et nulla incepto perlabitur unda liquore,
Sed durata *riget denſam in glaciemque nivemque.*

quod Cicero plene extulit, Nat. Deor. L. 1. c. 10. *pars* (regionum) *obriguerit nive.* Et Horatius Serm. Lib. II. I. vv. 24. 25.

ut ſemel icto
Acceſſit fervor capiti,

ubi ſubintelligitur *vapore vini.*

Nunc ad ea venio, quae te inprimis moverunt ut *gelu* reponeres. Duratae, inquis, ſolo *omnino interpretari oportet* a ſolo *tanquam cauſſa & inſtrumento duritiei.* Immo ſic Virgilius dixit: *It clamor coelo, bello animos accendit, tremefacta ſolo tellus.* Et haec lectio, quam omnes codices & veteres Interpretes habent, intolerabile plagae Septentrionalis frigus accurate deſcribit; ubi gelu tam acre tamque immoderatum eſt ut aggeres niveos ad ipſum ſolum adſtringat: & bene Jo. Bond ad hunc locum *glacie adſtrictae ſolo*, id eſt *ad ſolum.* Deinde illud te maxime videtur commoviſſe ut pro *ſolo* legeres *gelu*, quod Firmicus dixerit, *duratis gelu nivibus*, *idque manifeſte ex Horatio ſumpſerit*, *ut priora de Virgilio.* Verum qui comparaverit verba Firmici cum verbis

Digitized by Google

bis Virgilii facile deprehendet Firmicum Poëtae verba non uſurpaſſe niſi in illo loco ubi habet *atris ſemper nubibus* (pro quo tu ex Virgilio legis imbribus) & *concretae glacie*; *laevis autem dextriſque* addidit *lateribus*, & ſic poſt *duratis* ſubdidit *gelu*, quia in oratione numeris ſoluta *duratis* abſolute poni non oportere judicavit. Forte tamen quis mallet dicere *nive* eſſe Correctoris, idque ex Horatio in *ſolo* mutandum, quemadmodum tu *nubibus* ex Virgilio in *imbribus* mutaſti. Verum, ut tuam, Vir ingenioſiſſime, admiremur εὐστοχίαν, ponamus *gelu* ſubſtituendum eſſe in locum verbi *ſolo*: ecquiſnam in Schola Weſtmonaſterienſi puer paullo doctior, ſi forte admoneretur hunc locum mendo videri laborare, non continuo pro *ſolo* legendum eſſe *gelu* conjiceret, etiamſi ne unquam quidem Firmici nomen audiviſſet; illi enim & loci ſententia, & metri ratio ultro *gelu* offerrent, neque aliam ullam cauſam, qua nives durari poſſent, inveniri poſſe adfirmaret. Quod ſi is de eo invento gloriaretur, profecto eruditiſſimus illius ludi Moderator, ob emendationem inventu facillimam ei nullam praedicandi ſuam εὐστοχίαν *adfuiſſe* cauſam oſtenderet. Nunc videamus, quid hac in re praecipiat Ars Critica;

Quam penes arbitrium eſt, & jus, & norma medendi ea autem *gelu* reponi pro *ſolo* vetat; certiſſima enim emendandi regula omnem omnino emendationem damnat, quae mendi cauſam non oſtendit; at hic neque Librariis neque Inter-

 polatoribus

polatoribus cauſa *gelu* in *ſolo* mutandi adfuit; non illis, quia inter literas *g e* in *gelu* & *ſ o* in *ſolo* nulla eſt affinitas, neque uſquam in Horatianis codicibus omnes Librarii ſimili incuria peccaverunt; hi vero nuſquam elocutionem notiſſimam in inſolentem & inauditam, qualis eſt *durataeque ſolo nives* mutaverunt.

I nunc, *&* *felix inventum*, ſolus amato.

Deinde ad Carm. Lib. IV. II. v v. 29. 30.

Per laborem . . . . Plurimum, circa nemus.

Sic olim & hodie diſtinguit quicquid eſt Interpretum: ut plurimum *referatur ad* laborem: *mihi contra videtur convenientius, ut ad* nemus *pertineat.* Carpentis per laborem, *hoc eſt laborioſe carpentis.* Saluſtius in Catil. c. 7. Juventus in caſtris *per laborem* uſu militiam diſcebat. *Tum autem illud*, plurimum circa nemus, *multo opinor nitidius erit quam* circa nemus *nude arideque prolatum.* Ovid. Metam. XIV. 361.

Plurima *qua* ſilva *eſt, et equo loca pervia non ſunt.*

Virg. Aen. I.

Jamque aſcendebant collem qui plurimus *urbi*
Imminet.

Plurimum vero eſſe nemus circa Tibur, vel ex carmine ſequenti ſatis conſtat,

Sed quae Tibur *aquae fertile profluunt,*
Et ſpiſſae *nemorum comae.*

Recte igitur plurimum nemus; *potuiſſet tamen magis appoſite, ut comparatio cum* ape Matina *per omnia reſponderet*: FLOREUM circa nemus: *quod & a vulgata lectione non nimis abhorret.* Lucretius III. I.

Flo-

Digitized by Google

Floriferis *ut apes in* ſaltibus *omnia libant.*

Virg. Aen. I. 430.

Qualis apes aeſtate nova per florea rura
Exercet ſub ſole labor.

Primo illud falſum quod adfirmas, *quidquid eſt Interpretum diſtinguit poſt* plurimum: nam Rappoltus in Commentario pag. 100. diſtinguit poſt *laborem:* ſed male. Hic enim antecedentium ſententia ex conſequentibus colligitur, utputa ex his verbis *operoſa parvus .... carmina fingo*; in quibus Poëta comparat tenue ac parvum ſuum ingenium cum parvulo apis corpore, ſe Calabrum cum ape Matina, *operoſa carmina*, id eſt carmina *per laborem plurimum* perfecta cum verbis, quae praeceſſerunt per *laborem plurimum.* Et ſane cum intulerit *operoſa carmina* comparatio foret imperfecta, ſi ad *laborem* adjunctum *plurimum* non referretur. Quod autem ſcribis, *carpentis per laborem*, hoc eſt, *laborioſe*, *ita*, inquis, *loqui amant Scriptores Latini.* Sed vide Theſaurum Rob. Stephani in verbo *labor*, ibi reperies *durus labor*, *immenſus labor*, *infinitus labor*, *magnus labor*, *multus labor*, & apud Horatium S. II. II. v. 12. habes *auſterum laborem*; & Virgilius, qui Aen. I. v. 430. de apibus dixit, *Exercet ſub ſole labor*, de iiſdem v. 440. ſubjecit *fervet opus:* & de nullo ſane animali *labor plurimus* magis apte quam de apibus dici poteſt. Verum addis, hoc pacto nemus *nude arideque proferretur.* Atqui graviter hic erras: nam Horatius adjecit *uvidique Ti-*

 buris

buris ripas; quod nemus floribus abundabat, idque non obſcure verba *uvidique Tiburis ripas* indicant; contra *ſaltibus* apud Lucretium, epitheto *floriferis* non addito, nude & incompte poſitum eſſet; idem de verbo *rura* apud Virgilium, epitheto *florea* non adjecto, dicendum; cum plerique ſaltus non ſint floriferi, neque pleraque rura florea; at Tiburis nemus, ut modo dixi, veſtitum erat floribus.

Deinde ad Epod. X. v. 8.

Frangit trementis ilices.

Plotio Grammatico veteri, ais, *ſic locus hic citatur*, *p.* 1647.

Inſurgat Aquilo, quantus altis montibus
FREGIT *trementes ilices.*

Et ſane dulcius quid apud Poëtas prae ſe ferunt Praeterita, quam Praeſentia: ut Carm. IV. 4.

Qualem miniſtrum, fulminis alitem
Egit *amor dapis atque pugnae.*

Virgilius:

Quales mugitus, fugit *cum ſaucius aram*
Taurus, & incertam excuſſit *cervice ſecurim.*

Deinde. *Neutrum*, ais, *hic admiror, quia jam verſu proximo habuit*,

FRACTOSQUE *remos differat.*

Equidem VERTIT *vel* STERNIT, *vel ſimile quid dixiſſem potius, quam bis continenter idem verbum inculcaſſem.* O ineptiſſimum Horatii caſtigatorem! Nam ſi Horatius *frangit* hic non adhibuiſſet, bis peccaſſet; quoniam, cum verba rebus ipſis paria atque aequa-

Digitized by Google

aequalia eſſe debeant, neque aliud verbum praeter *frangit* violentum Aquilonis impetum exprimat (nam verba *ſternit*, *vertit*, id non efficere conſtat) verbum *frangit* omnino poni oportuit: deinde, cum in re aſpera hic oratio verſetur, verbo ex aſperis literis compoſito uti Poëta voluit; *F*, *R* autem in *frangit* literae ſunt aſperrimae, at in *ſternit* *S*, *T* tales non ſunt, neque in *vertit* *V*, *E*. Praeterea in verbo *frangit* duas illas aſperas excipit vocalis maximi ſoni *A*, eaque ad ingentem Aquilonis ſonitum exprimendum longe validior eſt, quam eſt vocalis *E* (cujus debilis eſt ſonus) in *ſternit*, *vertit*; de qua re ſcitiſſime ſcripſit ingenioſiſſimus Poëta Vida, Art. Poët. Lib. III.

Haud ſatis eſt illis utcumque claudere verſum,
Et res verborum propria vi reddere claras.
Omnia ſed numeris vocum concordibus aptant,
Atque ſono quaecunque canunt imitantur, & aptâ
Verborum facie, & quaeſito carminis ore.

Et Alex. Pope in egregio Poëmate de Judic. Critico,

'Tis not enough no harſhneſs gives offence;
The ſound muſt ſeem an echo to the ſenſe.
Soft is the ſtrain when Zephyr gently blows;
And the ſmooth ſtream in ſmoother numbers flows;
But when loud billows laſh the ſounding ſhore,
The hoarſe rough verſe ſhou'd like the torrent roar.

Nunc Horatii verſus, in quibus Auſtri & Aquilonis vehementiam aſperrimis & ſonantibus verborum literis mirifice expreſſit, ſubjiciam.

Digitized by Google

Ut horridis utrumque verberes latus,
Auſter, memento fluctibus.
Niger rudentes Eurus, inverſo mari,
Fractoſque remos differat.
Inſurgat Aquilo, quantus altis montibus
Frangit trementis ilices.

Sed ad verbi *frango* repetitionem, quae te offendit, revertamur. Diſces ex Hermogene repetitionem verbi *frangit* hic non culpandam ſed laudandam eſſe; ſic enim is Method. de Eloquentia Cap. IV. *Quando utemur eodem vocabulo, & quando diverſo? Eodem nimirum, quum illud rem ſignificantiſſime deſignat: tunc enim non eſt aliud ſubſtituendum, quo rei evidens & expreſſa explicatio potius deperditur. Si quis autem aliud vocabulum aſſumat, intempeſtivam copiam oſtentat, ſcriptique utilitatem perdit*; idque ab Homero Hermogenes & a Thucydide factum Laurentius in Notis pag. 196. oſtendunt.

Quod autem ſcribis, *dulcius quiddam prae ſe praeferre praeterita quam praeſentia*, in graviſſimas incurrit reprehenſiones: Nam in hac re illud primo intuendum, utrum metri ratio praeteritum an vero praeſens efflagitet; deinde utrum verbum molle an durum rei de qua agitur magis conveniat; tertio, utrum praeteriti temporis an vero praeſentis verbum ſonantius ſit. Et quiſquamne tam obtuſas habet aures, ut verbum *frangit* magis ſonorum eſſe quam verbum *fregit*, non ſentiat? Praeterea praeſens tempus ad loci ſententiam ac-

com-

Digitized by Google

commodatius eſt : ſic in re ſimili Virgilius Aen. I. v. 430.

Qualis apes aeſtate nova per florea rura
Exercet *ſub ſole labor.*

Et Horatius Carm. IV. XIV. v.v. 20. 21.

Indomitas prope qualis *undas*
Exercet *Auſter*,

Hic autem *frangit*, ut apud Virgilium & Horatium *exercet*, ſignificat *frangere ſolet*.

Deinde ad Serm. Lib. I. IX. v. 33.

Garrulus hunc quando conſumet cumque:

Ecquid erit pretii, ſi ſpinam hinc eximam, quae Interpretes noſtros diu male habuit?

Hunc neque dira venena, nec hoſticus auferet enſis;
Nec laterum dolor, aut tuſſis, nec tarda podagra:
Garrulus hunc quando *conſumet* cumque.

Quorum verborum haec ſententia ſit neceſſe eſt: Neque venenum, nec gladius, nec morbus hunc occidet; ſed garrulus aliquando hunc enecabit. *De ſententia, inquam, conſtat: de verbis non itidem liquet. Negant enim Lambinus Torrentiuſque (at qui viri?)* τὸ quandocumque *uſquam alibi inveniri in ſignificatione* τοῦ aliquando: *neque ſane quiſquam hactenus exemplum aliud protulit. Sed bono animo eſtote; dabimus auctorem optimum, quo ſpondente* quandocumque *idem erit atque* aliquando. Ovid. Metam. VI. 544.

Si tamen haec ſuperi cernunt; ſi numina Divûm
Sunt aliquid; ſi non perierunt omnia mecum:
Quandocumque *mihi poenas dabis.*

hoc eſt, ut res ipſa indicat; olim, tandem,

 ali-

Digitized by Google

aliquando, aliquo tempore. Idem Triſt. III. I. v. 57.

Quandocumque, *precor, noſtro placata parenti,*
Iſdem ſub dominis aſpiciare domus.

Ergo ad haec exempla, quae tamen rariſſima eſſe fateor, ſic locum hunc interpretor: Quandocumque hunc garrulus conſumet; *hunc* olim conſumet garrulus; erit tempus, cum *hunc conſumet garrulus.* O futilem jactantiam! nam hebes neceſſe ſit, qui non odoretur inſpiciendos eſſe indices Poëtarum qui temporibus Auguſti floruerunt: in indice autem Ovidii editi in uſum Sereniſſimi Delphini *quandocunque* non ſolum reperitur, verum etiam hi ipſi loci, quos tu protuliſti, indicantur, & ad eorum priorem *Quandocumque mihi poenas dabis* Criſpinus in interpretatione haec habet *aliquando exſolves mihi poenas:* idem vero Criſpinus ad alterum Ovidii locum

Quandocumque precor, noſtro placata parenti

notat *quandocumque* pro *quando* poni, *non enim,* inquit, *definit tempus.* Et ſane qui hunc & ſubſequentem verſum accurate perpenderit, facile perſpiciet Criſpinum in Interpretatione eos recte enarraviſſe: ſic enim ille, *oro, ut domus quandocumque delinita noſtro patri, videaris ſub iſdem dominis,* & diſtinctio poſt *quandocumque* a Criſpino omiſſa addi debet.

Sed ad laudatiſſimum tuum *ecquid erit pretii?* redire juvat. Mene tam ſtulte ineptire, ut, ſi quatuor vocabula, quae tu inaudita nominas, ex Auctoribus eruam, illud *ecquid erit*

pretii

Digitized by Google

pretii exclamem? quamquam ne ullum quidem eorum non habeat multo difficiliorem inveſtigationem, quam habet *quandocumque* pro *aliquando*, *olim* poſitum: haec quatuor verba ſunt *Emirari*, *Cumque*, *Indecorare*, *Rixator*.

Horatius Carm. I. V. v. 8.

Emirabitur inſolens.

Quid vero, inquis, *tam dignum in ſe continet* EMIRARI, *ut vox nova plane procudi debuerit?* Emirari, *ajunt Interpretes*, *eſt magnopere & valde mirari. Atqui & vox notiſſima* DEMIRARI *eandem omnino vim habet*. Atqui in tanta veterum librorum clade verbum *emirabitur*, quod & ſententiae in primis convenit, & omnes codices, excepto Reginenſi, agnoſcunt, &, quod caput eſt, Analogia Latini ſermonis amplectitur, omnino ſervari debere perſpicuum eſt: & in ſimili cauſſa bene Gronovius ad Statii Lib. III. Silv. III. notat in Plin. Panegyr. c. 71. *Princeps & Candidatus aequales*, *& ſimul ſtantes*, pro *& ſimul* ex vetere libro legendum *aequitus*, ut primitus, planitus apud Tertullianum: & ibidem ſubjungit, *vox elegantiſſima & eo amabilior, quia adhuc ignorata.* Cui adde *& ſimul* ex interpretatione vocabuli *aequitus* in contextum irrepſiſſe. Ceterum hujuſmodi verba compoſita neque pauca, quamquam raro lecta, inveniuntur, ut *elaudare* apud P. Feſtum; ut *emoderandus*, *emodulanda* apud Ovidium; ut *erigidus* apud Petronium;

Digitized by Google

tronium; ut *everberare* apud Virgilium, V. Flaccum, & Quinctilianum.

Virgil. Aen. XII. v. 866.

clipeumque everberat *alis*.

Ubi male Mediceus codex habet *reverberat*. Et Ovid. Met. L. XIV. v. 577.

& cineres plauſis everberat *alis*.

& Val. Flaccus L. VI. 737.

pectuſque ſuis everberat *armis*,

& Quinctilianus Inſt. Oratt. L. II. c. IV. *qui os oculoſque hoſtis Galli roſtro atque alis* everberaret. *Emirari* autem hic ſignificat *crebro mirari*, quemadmodum in illis locis *everberare* ſignificat *crebro verberare*.

Deinde *ſolus*, inquis, *codex Reginenſis*, *quantivis ſane pretii*, *ſuſpicionem mendi hic praebuit*, *qui clare habet* ET MIRABITUR, *punctulo ſub* T *poſito a manu ſecunda*, *quo delendam eſſe literam notare ſolent Librarii. At cur non potius legamus*, *leviſſima quidem mutatione*, *ſententia autem commodiſſima*; UT mirabitur *inſolens!* Atqui codex ille *quantivis pretii* plurimis vitiis iiſque foediſſimis, ut in Notis ad Horatium oſtendi, obſidetur: idemque codex ſimili vitio laborat Carm. Lib. IV. XV. v. 10. pro *evaganti* enim, quod plerique ſcripti & impreſſi habent, habet *& vaganti*. Quoniam autem V. Cl. te ignorare animadverti quando in variis lectionibus, duabus pluribuſve ad emendandum decurri oporteat, quando non oporteat; cum bona tua venia liceat mihi hoc tedocere: & illud plane pro comperto haben-

dum

Digitized by Google

dum eſt, cum altera vel aliqua lectionum talis eſt, ut alterius vel aliarum originem, id eſt mendi cauſam oſtendit, eam omnino eſſe veram, veluti Carm. Lib. II. XX. v. 13.

Jam Daedaleo ocior *Icaro.*

Ubi tu; codex, ais, Leidenſis habet *notior*, atque haec varietas te ad ſanam ſcripturam corrumpendam impulit, *nimirum*, inquis, *olim turbabant codices in hoc* vocabulo. *Quid* ſi reſcripſeris:

Jam Daedaleo tutior *Icaro.*

Inſcite. Nam illud *notior* natum eſt ex eo quod Interpolator putavit *o* in *Daedaleo* per Synaloepham abſcindi: verum Virgilius & Horatius ſaepe Synaloepham neglexerunt. Et in Carm. III. XXIV. v. 4.

Tyrrhenum omne tuis & mare Apulicum

Ubi alius Interpolator *Apulicum* in *Ponticum* mutavit, alius in *publicum*, alius in *Punicum*, errandi cauſam praebuit mare *Apulicum* Correctoribus incognitum. Verum hanc obſervationem accuratius in Notis perſequimur.

Hic praetereundum non eſt quod ad verba *emirabitur inſolens* adnotas; *atqui ſi toties*, inquis, *emirabitur*, *quomodo quaeſo* inſolens *erit? certe non niſi prima vice inſolens erit*, *poſt illam* expertus *& magis magiſque* aſſuetus *futurus.* Verbum inſolens non hic accipitur quomodo apud Terentium Andr. A. 5. Sc. 4. v. 4. *Quid tu Athenas inſolens*, ubi *inſolens*, ut recte exponit Donatus, *inſolitus*, & Nonius p. 322. *inſolens* non *ſolens*; ſed hic abſolute Horatius poſuit *inſolens*, ut ſubintelligatur *perfidiae meretriciae*

Digitized by Google

retriciae vel ſimile quid: ſic Salluſtius, Bell. Catilin. c. 3. *inſolens malarum artium.* Itaque hic puer harum artium ignarus, quoties ejus animo Pyrrhae perjuria obverſabantur, (& indubie frequenter occurſabant) toties admiratione adficiebatur: quam admirationem Horatius, qui rudis & imperitae aetatis mores probe perſpectos habebat, ut perfectius exprimeret, figura, quam Pleonaſmon vocant, uſus eſt. *Heu quoties emirabitur*, id eſt, quoties admirationem iterabit; *emirari* enim repetitam admirationem & ſaepe iteratam denotat. Atque hic ſenſus & menti Poëtae & rei ipſi in primis congruit. Neque ab hac figura Noſter alienus eſt. Quod tribus exemplis oſtendam. Carm. I. 31. v. 7. *quae Liris quieta . . . mordet aqua taciturnus amnis.* Et adhuc apertius Carm. L. III. 24. v. 17. *illic matre carentibus privignis*, ubi *privignis* manifeſte abundat. Sed ad hunc locum vide Notas noſtras. Tertium denique exemplum offert Epod. I. v. 21. *non, ut adſit*, auxilî . . . . *latura plus praeſentibus.* Sic enim legendum, non, ut tu edidiſti ex certiſſima interpolatione, *uti ſit*, quod ex Nota Porphyrionis huc inductum eſſe in Notis demonſtravi. Reſtat, ut Auctorem adferamus, apud quem *emirari* reperitur. Lactantius Placidus Narratt. Fabularum Lib. VIII. Fab. X. emiranti *caſus mortalium*, ubi Munckerus, *ita MS. & Veneta*; *non* miranti, *ut Raenerius & alii ediderunt.*

Nunc

Digitized by Google

Nunc venio ad Carm. Lib. I. XXXII. v. 15.

mihi cumque *ſalve*
Rite vocanti

Scio quid Interpretes de CUMQUE *illo ſic nude poſito dixerint, quorum ego mentem & induſtriam laudo. Neque tamen quiſquam, quod ſciam, vel ex omni, qua patet, Latinitate ſimile exemplum proferre potuit: neque quicquam de tam ſingulari loco habent Grammatici veteres. Quamobrem tempus erat, cum impetum cepi corrigendi ad hunc modum,*

ô laborum
Dulce lenimen, mihi, cuique *ſalve*
Rite vocanti,

hoc eſt, ſalve mihi, vel cuicumque alii rite vocanti. Judicet Lector ingenioſus; ego enim conjecturam hanc in medium protuliſſe contentus, tueri & praeſtare eam non tenebor. Si te V. Cl. inſanus emendandi impetus cepit, profecto nihil cauſſae fuit, ut ingenioſum Lectorem ad monſtrum correctionis, quam tute ipſe tueri nolles, non modo contuendum, ſed & pertractandum invitares. Verum, quid verbum ipſum *cumque* denotet, videamus, &, cum vox *quandoque* fere ſemper idem valeat, quod valet *quandocumque*, pari ratione dicendum vocem *cumque* idem valere, quod valet *cumcumque*; hoc autem verbum *cumcumque* extat apud Lucretium Lib. II. v. 113.

Contemplator enim cum *ſolis lumina* cumque

ubi recte Lambinus cum *ſolis lumina* cumque id

Digitized by Google

id eſt *quandocumque* & T. Faber in Notulis in Lucretium pag. 438. cumcumque. *Notandum*, ait, *inprimis*, *pro quotieſcumque*; *non temere alibi*. *Cumque* autem reperitur in codice Theodoſiano, tit. VI. De Suſceptoribus, Praepoſitis, & Arcariis Lib. XII. L. 32. *Aurum ſive argentum cumque a poſſeſſore confertur* &c. ubi *cumque*, ut ad illam legem oſtendit Jac. Gothofredus, ſignificat idem quod *quandocumque*. Neque vero ego ignoro Turnebum in Commentario in Ciceronem de Legibus Lib. III. c. 3. ad haec verba, *Equitem cumque qui regat*, *habeto*, ſic ſcribere. Cumque *dixit* vetuſte, *ut Horatius mihi* cumque *ſalve*. *Sic apud Plautum uſurpatum reperies*. Quod ad Plautum attinet, *cumque* pro *quandocumque* vix apud eum reperiri putem. Neque in illo Ciceronis eo ſenſu uſurpari conſtat.

Sed progrediamur ad Carm. Lib. IV. IV. v. 36.

Dedecorant *bene nata culpae*.

ubi INDECORANT, ais, *codices aliquot adhuc ſervant*. *Et mihi quidem vera videtur haec ſcriptura*; *licet alibi nuſquam ea vox jam reperiatur*. Immo Nonius in verbo INCILARE *Accius Meleagro*: *Quis erit*, *qui non me ſpernens*, *incilans probris*, *ſermone* indecorans *turpi fama differet*? quod fragmentum etiam invenitur in Scriverii Collectan. veterum Tragicorum pag. 125.

Deinde

Digitized by Google

Deinde Serm. Lib. II. V. v v. 103. 104.

> *&, ſi paullum potes inlacrimare. Eſt*
> *Gaudia prodentem voltum celare.*

Ita nunc vulgo diſtinguunt, ut illacrimare *ſit modi imperativi ab* illacrimari : *tum autem* Eſt *valebit* licet, ἔξεστι, δυνατόν ἐστι. *Quidni autem* poſſibile *eſt* vultum celare? *dubiumne id cuiquam eſt? putida quidem ſententia & Horatio indigna. Quare aliae editiones ſic interpungunt,*

> *&, ſi paullum potes, illacrimare, eſt*
> *Gaudia prodentem vultum celare.*

ut ordo ſit, Et illacrimare, ſi paullum potes, eſt celare vultum prodentem gaudia. Tamen, vel hac ſententia, ſic potius ſcripſerim, nitidius paullo & clarius;

> *Sparge ſubinde; &* SIC *paullum potes illacrimare,* ET
> *Gaudia prodentem vultum celare.*

Sed quid illud demum eſt, celare vultum gaudia prodentem? *haec videntur* ἀσύστατα. *Quippe ſi vultus* celatur, *quomodo* prodit? *Equidem* vultu celare, tegere, abſcondere *aliquid ſaepe memini legere; ipſum* vultum celare *hac quidem ſententia nunquam. Quare vide annon melius forte hic quadret illa ſcriptura, quam Barthius ex veterrimo, ut ait, codice depromit, quamque ille tanti facit, ut* prorſus textui inſerendam putet.

> *& ſi paullum potes, illacrimare. eſt*
> *Gaudia* PRUDENTUM VULTU *celare.*

Quid multa? neque haec Barthii lectio, neque illa vulgata placet: alios libros excutiant, quibus copia eſt, & qui de Horatio bene mereri ſtudent.

dent. *Simplicius quidem, me judice, clariuſque ſic ſcribere potuiſſet,*

Sparge ſubinde: & ſic *paullum potes illacrimare*, &
Gaudia prudenter vultu *celare*.

Hic ut fere ſemper inſcite emendas; nam legendum cum pleriſque MSStis,

Et, ſi paullum potes, inlacrimare. eſt
Gaudia prodentem vultum *celare*.

Vultum prodentem gaudia, id eſt proclivem ad gaudia prodendum; haec enim eſt vis hujus participii. Carm. Lib. I. VIII. vv. 3. 4.

cur apricum
Oderit campum, patiens *pulveris atque ſolis*:

ubi *patiens* ſignificat *qui facile patitur*. Cicero Tuſcul. Lib. IV. c. 12. *ut ſunt alii ad alios morbos procliviores*; . . . *in aliis anxietas unde anxii*; *in aliis iracundia dicitur*, *quae ab ira differt*: *eſtque aliud iracundum eſſe*, *aliud iratum*: *ut differt anxietas ab angore*: *neque enim omnes anxii*, *qui anguntur aliquando*, *nec qui anxii*, *ſemper anguntur*: *ut inter ebrietatem & ebrioſitatem intereſt*, *aliudque eſt eſſe amatorem*, *aliud amantem*: ubi *amator* ebrio comparatur, *amans* ebrioſo.

Et Silius Lib. VI. v. 384.

Servabam vultus ducis ac prodentia *ſenſum*
Lumina

ubi *lumina* prodentia *ſenſum*, id eſt a natura ita fabricata & comparata ut reconditos animi ſenſus indicent, quamquam id non ſemper faciant.

Denique

Digitized by Google

Denique ad Epiſt. Lib. I. XVIII. v. 15.

Alter rixatur de lana ſaepe caprina,

Sic ſcribis. *Muretus ex conjectura dedit* rixator. *Nos addita conjunctione, quae in fine verſus, ſi ſalvo ſit metro facillime ſolet excidere, ſic locum refinximus,*

Alter rixatur de lana ſaepe caprina, &

Neque enim nomen rixator *apud quemquam veterem reperimus, nec* rixatus *admittere potuimus ſine labe ſententiae; quae, ſi participio opus foret,* rixans *omnino poſtulat, temporis praeſentis.* Atqui *rixator* uſurpat Quinctilian. Inſt. Orat. L. XI. c. I. *Videas autem* rixatores *quoſdam neque judicum reverentia, neque agendi more ac modo contineri.* Ego ſane; etiamſi vox *rixator* nuſquam inveniretur, ei tamen in contextu locum libens concederem: tum quia Analogiae ratio ei favet, tum quia antecedentia id verbum omnino reponi jubent: nam, cum, Poëta, poſtquam ſcurrae, & hominis inurbani & agreſtis mores improbaſſet, ſubjecerit v. 10.

Alter in obſequium plus aequo pronus, & imi
Deriſor lecti,

ubi verbum *alter* ad *ſcurram* refert, recta ſcribendi ratio poſtulat, ut de altero, id eſt *agreſti*, ſubjungat, *alter rixator*; praeſertim cum verba, quae ſequuntur, vocem *rixator* non aſpernentur ſed efflagitent,

Alter rixator, *de lana ſaepe caprina*
Propugnat, nugis armatus.

& diſtinguendum poſt *propugnat* (quod a te

Digitized by Google

factum non eſt) idque recte percepit Torrentius, *quamquam enim*, inquit, propugnare nugis, *& ſimilia recte dici non negaverim*; *multo tamen urbanius eſt*, *rixoſum ac contentioſum hominem*, *de re nihili certaturum*, *nugis veluti armatum in campum deducere*. Ceterum, cum jam oſtenderim Quinctilianum uſum eſſe verbo *rixator*, non dubito quin Mureti emendationem probes. Quod autem obſervas particulam ET *in fine verſus facillime excidere*, id & verum & notum eſt: ſed huic loco illa obſervatio non convenit; neque, etiamſi tua correctio certa eſſet, quidquam laudis mereret: nam & Lubinus in Interpretatione, & Minellius in Commentariis *Et* addiderunt.

Nunc ad Notam tuam ad Serm. I. VII. vv. 11. 12. procedo:

Quo fortes, quibus adverſum bellum incidit, inter
Hectora Priamiden, *animoſum atque* inter *Achillem*.

Vitioſum ſane, inquis, *loquendi genus*, quodque magni emerim *numquam ab Horatio prolatum: quivis alius ſcriptor* τὸ inter *ſemel poſuerit*; ut Terent. Andr. III. 3.

Irae ſunt inter *Glycerium & gnatum*,

Ut & Graeci, *& alii ubique omnes. Neque vero magis ab uſu quam a ratione receſſit Noſter*. Quamquam tu hoc loquendi genus vitioſum eſſe, neque ab ullo praeter Horatium uſurpatum, quamquam magni quoque emiſſe velle te id ab eo non prolatum adfirmas: ego tamen *inter* geminatum reperi, ſed cum quatuor illis *emirari*, *cumque*, *indecorare*, *rixator*, commiſcendum non

non putavi: partim quod repetitio praepoſitionis indagationem multo expeditiorem haberet quam habent illa quatuor verba; partim quod illius repetitio ab aliis animadverſa eſſet: Vavaſſor Obſervatt. de Vi & Uſu quorumdam verborum, in voce *Inter*, Inter & inter. *Sed nihil in ſpeciem magis ſupervacaneum ac inutile*, *quam* inter *congeminatum*; *quod apud Horatium tamen*, *Lib. I. Epiſt. ad Lollium*, *habetur.*

Neſtor componere lites.
Inter Peliden, *feſtinat & inter Atriden.*

Atque hic unus ſolum mihi primo videbatur locutus: uſque eo mihi novum illud accidebat. Sed inquirenti obtulerunt ſe, *& occurrerunt loci apud Tullium duo*, *quos legeram millies nec animadverteram. I. de Fin.* XXX. Intereſſe enim inter argumentum, concluſionemque rationis: & inter mediocrem animadverſionem: atque admonitionem. *De Fat.* XIX. Sed intereſt inter cauſas fortuito antegreſſas, & inter cauſas cohibentes in ſe efficientiam naturalem. *Atque haec minime neceſſaria repetitio praepoſitionis ejuſdem apud Latinos*; *ſed Hebraeis familiaris ac prope perpetua eſt.*

Deinde, ais, *Aliud vero ſuggerit Marcilius*, *ex Cicer. Paradox. I.* Sic te ipſe abjicies atque proſternes, ut nihil INTER te *atque* INTER *quadrupedem aliquam putes intereſſe? Equidem neſcio*, *ex qua cloaca foetorem hunc excitaverit*; *cum & editiones quas viderim omnes*, *& codices Graevio viſi rite habeant*, inter *te atque quadrupedem.*

Digitized by Google

drupedem. At ſi Gronovii editionem inſpexiſſes, aut ita non ſcripſiſſes, aut ita certe non debuiſſes: is enim ad hunc locum ſic adnotat.

Ut Victorius repetit τὸ inter, *ſic & Langius cum membranis: & utique patet Gulielmio idem in MSStis inventum. Cur igitur deleretur? Gruterus quum odioſas repetitiones jactat, loquitur ex ſuo ſenſu. Tullius ubique ſic iteravit praepoſitionis uſum, ut vidimus paſſim.* Illud quidem *ubique* Cl. Gronovii non probo. Nam, cum olim haec, quae e Vavaſſore ſupra adtuli, legiſſem, ad eam obſervationem attentus, alia inveni loca in quibus Ciceroni viſum fuit numerorum cauſſa *inter* geminaſſe, quod a nemine animadverſum arbitror: quare ubi *inter geminatum* periodon pleniorem reddit, magiſque aures implentem, ibi Ciceronem bis *inter* poſuiſſe nequaquam dubito: quoniam vero geminatio praepoſitionis mihi videbatur Poëtarum locis, in quibus ne ulla quidem mendi ſuſpicio ineſſe poteſt, certius comprobari, ad hanc rem, cum praecipuos Poëtas percurrerem, attendi oportere exiſtimavi. Neque labor ille ſine fructu fuit: octo enim locos reperi, in quibus *inter* geminaretur; atque horum unum ab Rich. Johnſon ante e Propertio prolatum poſtea animadverti.

Virgil. Aen. L. IX. vv. 556. 557.

At pedibus longe melior Lycus inter *et hoſtis*,
Inter *et arma*,

Ti-

Tibull. Lib. II. I. v. 67.

Ipſe inter*que greges*, inter*que armenta Cupido*

Idem Lib. IV. I. v. 165.

Fertilis hunc inter *poſita eſt*, inter*que rigentes*,

Propert. Lib. II. 23. vv. 15. 16.

Deinde inter *matrem Deus ipſe*, interque *ſororem*
Pythius in longa carmina veſte ſonat.

Val. Flaccus, Lib. V. v. 13.

Ecce inter *lacrimas*, inter*que extrema virorum*

Idem Lib. VI. vv. 509. 510.

Seminecéſque duces inter *ſua tela*, *ſuoſque*
Inter *equos ſaevam miſero luctamine verſant*

Silius, Lib. XI. vv. 180. 181.

Ille ego, *ſemihomines* inter *Naſamonas*, *&* inter
Saevum atque aequantem ritus Garamanta ferarum,

Claudian. in Ruffin. Lib. II. v. 195.

Inter *equos*, Inter*que tubas mandata feruntur*

Sed ne jactantiam tuam plus aequo exagitaſſe exiſtimer, verba, quae eam extenuare videantur, iterum adferam. *Negant*, inquis, *Lambinus Torrentiuſque* (*at qui viri!*) quandocumque *uſquam alibi inveniri in ſignificatione τȣ̃ aliquando*. Negat Bentleius (at qui vir!) *emirari* uſquam praeterquam in vitioſis Horatii codicibus legi: Negat Bentleius (at qui vir!) uſquam praeterquam apud Horatium legi *cumque*, *indecorare*. Negat Bentleius (at qui vir!) uſquam legi *rixator*. Negat quoque Bentleius (at qui vir!) inter *Hectora*, *atque* inter *Achillem* recte dici, hoc addito, *quod magni emerim numquam*

Digitized by Google

quam ab Horatio prolatum . . . . quivis alius Scriptor τὸ inter *ſemel tantum poſuerit : ut Terentius . . . . ut & Graeci & ſic alii ubique omnes.* Ego tamen *inter & inter* Virgilium ſemel poſuiſſe, Tibullum bis, Val. Flaccum bis, Silium ſemel, Claudianum ſemel oſtendi. Ego quoque locos Auctorum in quibus *emirari*, *cumque*, *indecorare*, *rixator* invenirentur, indicavi.

Quamquam autem nonnihil laboris iis verbis eruendis impendendum fuit, ego tamen eorum inventionem nihil habere laudis exiſtimo: ecquid enim laudis ex labore, in quo nullum ingenii lumen eluceat, ad quemquam redundare poſſit? Quare ſi qui praemium ſibi proponi poſtularet, ſi quid, quod ſine ullo labore inveniri poſſet, quale certe eſt *quandocumque* acceptum pro *aliquando*, inveniret, vaniſſimam illius hominis jactantiam eruditi, opinor, viri deſpicerent ac deriderent.

CAPUT XIV.

Vulgata Lectio Carm. Lib. I. XIII. vv. 2. 3. defenſa.

Cervicem roſeam Cerea *Telephi*
Laudas brachia,

Ubi tu ſic ſcribis, *Omnes opinor, quotquot hodie extant, membranae in ea lectione conſentiunt, firmatque Servius ad Virgil. Eclog. II.*

(AD-

(ADDAM CEREA PRUNA) aut cerei coloris; aut mollia. Horatius, CEREA Telephi laudas brachia. *Jure tamen diſplicuit Julio Scaligero; cujus verba haec ſunt:* cum dixit *roſeam cervicem, cerea brachia* colorem quoque indicare ſuſpicabimur; ſicut apud Poëtam *cerea pruna:* profecto plus ſapiat LACTEA. *Interpretes quidem*, ais, *in omnes partes ſe verſant, & illud* cerea, *quaſi revera cereum eſſet, in quoſcumque volunt ſenſus flectunt finguntque, ut auctorem ſuum vel defendere vel excuſare videantur: ſed laterem plane lavant. Quid enim? an* cerea *de colore interpretabuntur? at faeda res eſt color flavus in brachiis qualia ſunt ictericorum.* Ovid. Pont. I. 10. *cum morbo laborabat,*

Parvus in exiles ſuccus mihi pervenit artus,
Membraque ſunt cera *pallidiora nova,*

an cerea *ſunt pulchra, tamquam quae in cereis imaginibus videmus, ut Virgilius* cervicem marmoream *Georg. IV.* 523.

Tum quoque marmorea *caput a cervice revulſum.*

& manum *Martialis VIII.* 56.

Adſtabat domini menſis pulcherrimus ille
Marmorea *fundens nigra Falerna manu.*

Atqui illic marmorea *eſt candida, & colorem notat, non figuram, ita Noſter Carm. I.* 19.

Urit me Glycerae nitor
Splendentis Pario marmore *purius.*

Lucretius II. 764.

Cur ea, quae nigro fuerint paullo ante colore,
Marmoreo *fieri poſſint candore repente.*

Digitized by Google

An igitur cerea *brachia ſunt lenta*, & *mollia ut Noſter Epod. XV.*

Lentis adhaerens brachiis?

Sed & hoc nihilo magis ſanum eſt; quamvis enim cera mollis eſt & tactui cedit; veſtigium tamen impreſſum ſervat, ut ſolet hydropicorum caro, qua nulla turpior imago eſt. Quod ſi aut horum ullo aut alio quovis ſenſu recte dici poſſent cerea brachia; *imprudenter tamen, ut vere Scaliger obſervavit, poſt* roſeam *cervicem* cerea *brachia nominaverit Noſter, ne forte Lector utrumque epitheton de colore ſuſpicetur dictum, & pro formoſo luridum Telephum imaginetur. Quid igitur fiet? Bene ſit vetuſtiſſimo Grammatico Flavio Capro, qui ſolus rem impeditam ſolvit, & Horatium omni culpa liberat. Is narrat pag.* 2242. *ut inter ſe differant* lactans, lactens, lacteus. LACTANS, *inquit*, qui decipit; LACTENS, lacte abundans, velut lactens ficus (*ſic enim ibi legendum; non ut editum eſt*, lacteus, &, lactens ficus. *Ovid. Faſt. II.* 263.

At tibi dum lactens haerebit in arbore ficus)

Lucilius: Lactentia coagula cum melle bibi. LACTEA, candida ſunt, ut LACTEA LAUDAT BRACHIA dicit Horatius. *Haec opportuniſſime ſane Caper: ubi ſcribe* laudas *pro* laudat; *nam ſine dubio ad hunc ipſum Horatii locum reſpexit; neque de mendo hic ulla ſuſpicio eſt; cum eo fine haec adduxerit, ut probet* lactea *eſſe candida. Quid autem dubitemus, tam bono Auctore genuinam lectionem agnoſcere?*

Cum tu, Lydia, Telephi

Cer-

Digitized by Google

Cervicem roſeam, LACTEA *Telephi*
Laudas brachia:

qua nihil aptius, pulchrius optari potuit. Utrobique a colore laudat; Cervicem roſeam, *ut Virgilius de Venere Aen. I.* 406.

Dixit, & avertens roſea *cervice refulſit.*

Brachia autem lactea, *ut iterum Virgilius de Aſcanio Aen. X.* 137.

fuſos cervix cui lactea *crines*
Accipit.

Et de Gallis VIII. 660.

Tum lactea *colla*
Auro innectuntur.

Nemeſianus II. 80.

Purpureas laudanda genas, & lactea *colla.*

Candor autem eſt brachiorum perpetua laus. Ovid. Amor. III. 7.

Illa tamen noſtro ſubjecit eburnea collo
Brachia, Sithonia candidiora nive.

Adnotationem tuam ad hunc verſum integram, etſi fere ex toto ea deleri digna eſſet, adſcripſi: nunc meam ex Notis Criticis in Horatium, quam cum tua accurate conferas cupio, huc transferam.

Jul. Scaliger de Poëtice Lib. VI. in hunc Horatii verſum & in plurimos alios cenſuram exercuit; ſed vix uſquam feliciter. *Tertiadecima*, inquit, *Ode non convenit*, roſea cervix, *ſed* lactea. *Et cum dixit*, roſeam cervicem, cerea brachia *colorem quoque indicare ſuſpicabimur; ſicut apud Poëtam* cerea pruna: *profecto*

fecto plus ſapiat lactea. Ac R.B. quidem ex Ovidio & Virgilio cereum colorem de pulchris Telephi brachiis male dici demonſtrat. Atqui hoc ab eo non neceſſario factum oſtenderunt Jan. Douſa & Torrentius: ille enim apud Cruquium pag. 654. ſic ſcripſit: *Jam vero ad brachia Telephi quod attinet, quiſnam ita Thamyras, quaeſo, ut non videat epitheton iſtud* cerea, *idem quod* mollia, flexibilia, *atque in morem cerae, digitorum preſſantium attactu ſubſidentia, ſignificare? indicio certe eſt, iſtud ipſius, inquam, Horatii, ne quaeram foris,* Cereus in vitium flecti; *nam quod Noſter ille hoc loco de colore cereo Poëtam agere captioſe criminatur; in exemplum,* cerea *Virgilii* pruna *adducens; id vero prorſus mihi omnis coloris expers videtur, minimeque dignum, quod a tanto viro vel dicis cauſſa cogitatum, nedum ſerio adverſum putetur.* Torrentius quoque ad hunc verſum ſic ſcribit: cerea *vocat non a colore* cerae *quod Scaliger credit, neque ab imaginibus cereis, quae in nobilium atriis proponebantur, quod plane ineptum eſt; ſed eadem quae alibi lenta ac mollia, a cera translatione ducta, quae tenera, ac flexilis artificis manibus facile cedit. Sic* cereus in vitium flecti. Epiſtola ad Piſones. *A mobilitate igitur &* brachia *hic laudantur. Graeci* ῥαδινὸν *appellant ac tam varie uſurpant, quam Latini* tenerum *ac* molle. *Hinc porro Lucretium recte interpretatus eſt Giſanius noſter Lib. IV. cum ait:*

Rhadine vero eſt jam mortua tuſſi.

Tene-

Digitized by Google

Teneram nempe ac mollem vocat amator, quae jam tuſſi exaruerit, ac tabe pene extincta ſit. Et ibidem Giſanius citat Nonium in verbo *putus*, ubi Nonius quaedam habet, quae ad hunc locum illuſtrandum nonnihil proſunt. Quod autem ad verbi *cerea* interpretationem attinet, Douſa & Torrentius eam ab Acrone acceperunt; is enim ad verbum *cerea*, *Aut mollia, aut cerae ſimilia*; ubi legendum *aut in modum cerae flexilia*, ut habet Commentator Cruquianus. Ego ſane utraque haec amplector; quoniam & a mollitie & ab agilitate brachia apte laudantur. A mollitie, ut Cicero Tuſcul. Lib. V. c. 16. *Lenitudo orationis*, mollitudo *corporis*. Et Petronius cap. 127. *implicitumque* brachiis, mollioribus *pluma*. Et Apuleius Metamorph. Lib. X. *vel tam lucida tamque* tenera, *& lacte ac melle confecta membra.* Et Catullus ad Coloniam XVII.

Et puella, tenellulo *delicatior haedo*,

Bentleius vero hoc Epitheton *cerea* pro mollia non probat; idcirco, *quod, etſi cera eſt mollis, & tactui cedit, veſtigium tamen impreſſum ſervat, ut ſolet hydropicorum caro, qua nulla turpior eſt imago.* O ingenium inſipiens, & inficetum! Nonne Virgilius, cum dixit *marmoream* cervicem; nonne Ovidius, cum dixit *eburnea* brachia; ille candorem cervicis candori marmoris comparando; hic brachiorum candorem candori eboris; nonne, inquam, & Virgilius & Ovidius apta ſimilitudine uſi ſunt, quamquam cervix & brachia, quod ad duritiem

tiem attinet, marmori & ebori ſint diſſimilia? Quî igitur Bentleio in mentem venerit, ut brachia Telephi putaverit verbo *cerea* non ſolum cerae mollitiei comparari, ſed etiam illi veſtigio, quod cera digitis impreſſa ſervat?

Jam ad alteram interpretationem, quam ad *cerea* adfert Commentator Cruquianus, venio. Cerea, ait, *flexilia*. Et notum eſt apud Romanos brachia *flexilia* in magna fuiſſe laude. Ovid. Art. Am. I. v. 595.

Si vox eſt canta, ſi mollia brachia *ſalta.*

& L. II. v. 305.

Brachia *ſaltantis, vocem mirare canentis.*

& Remed. Amor. v. 334.

Fac ſaltet, neſcit ſi qua movere manum.

ubi Nic. Heinſius citat Lucretium Lib. IV. v. 791.

Mollia *mobiliter quom alternis* brachia *mittunt?*

& ibidem Cl. Heinſius bene addit; *Geſtus enim manuum & brachiorum in ſaltatione plus commendabatur, quam pedum motus.* Et Lib. Amor. II. El. IV. vv. 29. 30.

Illa placet geſtu, numeroſaque brachia *ducit*
Et tenerum molli torquet ab arte latus:

Et Propertius Lib. IV. El. V. vv. 45. 46.

In mores te verte viri: ſi cantica *jactat,*
I Comes, & voces ebria junge tuas.

ubi *ſi brachia jactat* Heinſius reponendum cenſet. Et ita edidit Brouckhuſius MSStis renitentibus. Sed, ut mihi videtur, non neceſſario; nam in Pentametro jubet eam cum vi-

ro

ro cantare; quod verba *voces junge tuas* aperte indicant.

Sed alio argumento Bentleius confirmat *cerea* hic legendum non eſſe, & eſt hoc, Caper Putſch. Gramm. Vett. pag. 2242. *lactea* non *cerea* citat. *Ut lactea*, inquit Caper, *brachia dicit Horatius*; quae Grammatici verba ab omni mendi ſuſpicione abeſſe Bentleius adfirmat; & ego non invitus fateor. Verum memoriae vitio lapſum eſſe Caprum citando *lactea* pro *cerea* non dubito: &, ut ita ſentiam, duo me impellunt; unum, quod Horatius, quem in verbis, figuris & epithetis feliciſſimum eſſe apud omnes conſtat, non ita inopis fuit ingenii, ut, poſtquam cervicis candorem verbo *roſeam* laudaſſet, ſtatim epitheto *lactea* idem ſignificante, brachia cohoneſtaret. Quare *cerea*, ut omnes Libri & Servius ad Virgilium Ecl. II. legunt, quod ad brachia laudanda eſt accommodatiſſimum, prudenter adhibuit. Per metrum quidem *mollia* potuiſſet adjungere, verum illud non putavit adhibendum, non ſolum, quod verbum eſſet tritius, ſed etiam, quod, cum *cervicem* epitheto a re pulchra petito decoraſſet, *brachia* quoque epitheto ab alia re eorum laudem ſignificante, petito honoranda exiſtimavit. Deinde illud me maxime movet, ut credam Caprum memoriae lapſu *lactea* pro *cerea* citaſſe, quod Regula emendandi, cujus ſupra mentionem feci, lectionem *lactea* prorſus improbat; ea enim Regula ſcripturam, quae omnium codicum auctoritate communita eſt,

quae-

quaeque nec Librariorum incuriae, neque inſcitiae; neque Interpolatoris imperitiae adtribui poteſt, pro legitima habendam eſſe demonſtrat. At *cerea* neque Librariorum incuriae, neque inſcitiae adſcribi poteſt; non incuriae, quia nulla eſt inter ſcripturam verborum *cerea*, & *lactea*, ſimilitudo; nuſquam enim incuria Librarii peccaverunt, niſi cum aliqua ſcripturae affinitas iis peccandi cauſam praebuit: non inſcitiae; quia huic Librariorum vitio ea ſolum adſignantur, quae illi e Gloſſa in contextum inſcienter inducunt, at in nulla Gloſſa invenerunt *cerea*. Interpolatorum autem inſcitiae *cerea* adtribui non poteſt: nam hi nuſquam locutionem notiſſimam, qualis eſt *lactea brachia*, in abſtruſam & inauditam, qualis eſt *cerea brachia*, mutaverunt. Denique memoriae lapſu maximos Viros in locis Auctorum citandis erraſſe eruditi homines jam dudum oſtenderunt: ego in magno exemplorum numero id paucis demonſtrare ero contentus.

Cicero ad Attic. Lib. XII. Ep. 6. *mihi quidem gratum, & erit gratius, ſi non modo in libris tuis, ſed etiam in aliorum per Librarios tuos Ariſtophanem repoſueris pro Eupoli.*

A. Gellius Lib. XV. c. 6. *quamobrem non tam id mirabamur erraſſe in ea re M. Tullium, quam non eſſe animadverſum hoc poſtea, correctumque, vel ab ipſo, vel a Tirone liberto ejus, diligentiſſimo homine, & librorum patroni ſui ſtudioſiſſimo.*

Senec.

Digitized by Google

Senec. Natural. Quaeſt. Lib. IV. c. 2. & *illā Ovidium ſuum impingo? qui ait:*

Nec pluvio ſupplicat herba Jovi.

qui verſus eſt Tibulli, non Ovidii.

Lactant. de Ira Dei, Cap. VII. ex Virgilii Aen. Lib. IV. v. 402.

ingentem formicae farris acervum

Comportant, *hiemis memores, tectoque reponunt*; ubi Virgilius pro *comportant* habet *cum populant*.

Hieronymus Epiſt. ad Furiam. Horatius, *Iratuſque Chremes tumido* deſaeviet *ore*, ubi *deſaeviet* memoriae lapſu pro *delitigat* laudavit. Servius ad Virgil. Aen. XI. v. 522. *Vulpes vulpecula facit*. Horatius,

moveat vulpecula *riſum*.

ubi *vulpecula* pro *cornicula* citavit. Chariſius Putſch. Grammatici vett. p. 78. *Et* laſſas *clunes* pro & pulchrae *clunes* citavit.

Nunc ad Auctores recentes venio. Brouckhuſius ad Tibullum Lib. II. VI. v. 36. notat *Salmaſium epiſtola inter Sarravianas* 139. *male citaſſe* Virgil. Aen. Lib. IV. v. 264.

*tenui*que vias *diſcreverat auro*

ubi Virgilius habet & *tenui* telas *diſcreverat auro*; & ibi Brouckhuſius haec adjicit; *ô memoria ut es infida cuſtos rerum tibi commiſſarum!* Idem ad Propertium Lib. III. VI. v. 21. *Verum quod Vir ille ſummus* (Nic. Heinſius) *Caſtigatt. Vellejanis, correctionem ſuam ſtabilit auctoritate noſtri Poetae, prolato hoc verſiculo,*

Et collum inmorſi *dentis habere notam,*

R *in*

Digitized by Google

in eo bis fallitur, *memoriae vitio : neque enim is verſiculus Propertii eſt*; *neque ita legitur : eſt autem Naſonis Lib. III. Amor. El. XIV.*

Cur plus quam ſomno, *turbatos eſſe capillos*,
Collaque conſpicui *dentis habere notam?*

Et Bentleius ipſe ad Epod. XVII. v. 33. *Nam quod Heinſius ad Ovidium* virens flamma *ex Martiali citat*, *in eo accuratiſſimum virum memoria fefellit. Ibi enim* aurum virens, *non* flamma *dicitur. Martial. Epigr. XII.* 15.

Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Juppiter.

Graevium denique, ut alios omittam, memoria fefellit in Animadverſ. in Ciceron. in Verrem Lib. V. c. 17. Horat.

Quo mihi divitias *ſi non conceditur uti?*

& idem Graevius ad Ciceron. Orat. I. contra Rullum, eundem verſum Horatii eodem modo citavit; ubi libri meliores habent *Quo mihi fortunam.* Et omnino attendendum, quod errandi cauſam Lactantio, caeteriſque praebuit, idem ipſum errandi cauſam Capro praebuiſſe: etenim ut illis e memoria verba, quod eſſent rariora, exciderunt, & magis trita ſeſe eorum memoriae obtulerunt. Ita Capro excidit *cerea*, quod hoc loco inſolens & inuſitatum eſſet, pro quo *lactea*, quod apud Virgilium legerat, ei in mentem venit. Et perſpicue apparet Lactantium ſimili errore citaſſe *Comportant* pro *Cum populant*; & Hieronymum *deſaeviet* pro *delitigat*; & Servium *vulpecula* pro *cornicula*; & Nic. Heinſium *immorſi* dentis

tis pro *conſpicui* dentis; & Graevium *divitias* pro *fortunam*. His igitur rationibus adductus & te & Caprum hic peccaſſe ſine ulla dubitatione confirmo, hunc infirmitate memoriae, te & imbecillitate judicii, & artis ignoratione.

CAPUT XV.

Lectiones quaedam emendantur, quaedam defenduntur. Bentleii Errores refelluntur.

CArm. Lib. I. I. v. 3.

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum

Olympicum habent Libri & ſcripti & impreſſi, & ita citat Servius ad Virg. Ge. III. 49. & Lactantius ad Statii Theb. Lib. IV. v. 262. Ego vero non dubito quin *Olympicum* ſit Interpolatoris, *Olympium* ad ſuum loquendi modum accommodantis. Et eodem modo peccatum Carm. Lib. II. XVIII. v. 7.

Nec Laconicas mihi

ubi optimus liber Pulmanni & codex Giſanii habent *Laconias*, tu tamen in contextum intuliſti *Laconicas*; quod miror. Carm. Lib. III. XXX. v. 15.

Quaeſitam meritis, & mihi Delphica

ubi N. Heinſius in collatione ſua monet in codice Zulichemiano legi *Delphia*, quod a te in contextum recipi debuit. Item Carm.

Digitized by Google

Lib. IV. III. v. 5. legendum *Achaio*; & Epod. II. v. 54. *Jonius*, & Art. Poët. v. 136. *Cyclius*, quod tu in duobus MSStis inveniſti, & ſic nuſquam non Horatius loquitur. *Vicit Olympia*, *Hymettiae*, *Pythia*, *Pythius*; *Deliis*, *Aeoliis*, *Aeolium*, *Aeoliae*, *Aeolio*, & Cicero *Olympiorum*, *Olympium*, & Livius *Olympii*, & ita Varro apud Chariſium, & Feſtus in *Perihodos*: ita quoque Seneca, Plinius, Mela, Vitruvius; Petronius, Auſonius, Lactantius, & Juſtinus Lib. 7. c. 2. *certamine Olympio*, ubi quidam Libri legunt *Olympico*. Idem Lib. 12. c. 16. *Certaminis Olympici*, ſed ſine dubio ex interpolatione, & Apuleius, Flor. *certamine Olympio*, & Suetonius in Caligula c. 22. *Olympici Jovis*. ubi Cl. Graevius *codex Salmaſ.* Olympi *lege* Olympii *adſtipulantibus duobus Palatinis & aliis*. Quare tarditatem tuam, V. Cl. magnopere admiror, quod ne ſuſpicatus quidem es legendum eſſe *Olympium*, eoque magis admiror, quod N. Heinſius, cujus Notas in Ovidium, Val. Flaccum, Claudianum, & Prudentium ſtudioſe evolviſti, ex optimis codicibus protulit *Maeotia*, *Parthia*, *Tantaliis*, *Pharſalia*, *Dacia*, *Armenia*, *Theſſaliae*, *Bacchia*, *Canopia*, *&c.*

Nunc venio ad Carm. Lib. I. IV. v. 16.

Jam te premet nox *fabulaeque Manes*;

ubi tu ſic ſcribis, *dubitare poteris pluraline numero hic accipiatur* Fabulae, *an genitivo ſingulari. Hoc ille maluit*, *quicumque fuit*, *qui margini codicis Graeviani hoc Scholion allevit*, Fabulae

Digitized by Google

bulae genit. ſingul. pro Fabularum. *Et Prudentius perpetuus noſtri imitator contra Symmachum I. v.* 190.

> *Et tot templa Deûm Romae, quot in orbe ſepulchra*
> *Heroum numerare licet: quos* fabula manes
> *Nobilitat,*

Plane hunc locum in animo habuit. Illud tamen ſecutus videtur Perſius, cum dixit,

> *cinis, &* manes, & fabula *fies.*

Utrumlibet elegeris, eodem res redit. Quid? eodemne res redit? nequaquam: nam *manes* qui ſunt fabulae, id eſt fabuloſi, te prement non inepte dicitur. Manes fabulae vel fabularum parum apte. Verum hoc miſſo; ipſo die quo in manus meas venit tua Horatii Poëmatum Recenſio, cum Notam tuam ad hunc locum legerem, ſtatim vidi omnino legendum *maneſque*; *que* autem abſciſſum ab Interpolatore; quod ignoravit illud abſcindi ab *Et* prima voce verſus inſequentis: & ex hujus rei ignoratione, & ex eo quod indubie Noſtrum imitatus eſt Perſius, ſic legendum eſſe apparet. Verum poſtea animadverti Aſcenſium in edit. A. 1503. ita hunc locum emendaſſe, & deinde in edit. A. 1519. ſuam improbaſſe emendationem, & Matth. Bonfinis pro *manes*, *inanes* legentis probaſſe; de qua correctione ſic Muretus in Nota ad hunc verſum: *Qui pro* manes *hoc loco legunt* inanes, *ipſi profecto ſunt plane inanes.* Quod ſi bonus Aſcenſius Perſium ab Horatio hoc ſumpſiſſe vidiſſet, eum a ſententia diſceſſurum fuiſſe vix crediderim. Et ut verum fatear,

Digitized by Google

tear, Nota tua ad hunc locum tam inepta mihi viſa eſt, ut ea, quam de tua, V. Cl. Recenſione conceperam, opinioni plurimum detraxerit.

Nunc ad lectionum receptarum trium defenſionem tranſeo. Carm. Lib. IV. IV. v. 17.

Videre Rhaeti *bella ſub Alpibus*

ubi tu ſic ſcribis: *Nos jam olim certam hujus loci ſcripturam ex conjectura invenimus.*

Videre Raetis *bella ſub Alpibus*;

Poſtea Nic. Heinſium nobiſcum facere didicimus. . . . . Tandem in impreſſo codice ex Bibliotheca celeberrimi Viri Petri Francii, cui variae aliquot lectiones ex libris ſcriptis adnotabantur, reperimus manuſcriptum exemplar Rottendorphii Retis *exhibere: neque parum laetati ſumus divinationem noſtram membranarum auctoritate firmari: quod & in aliis multis olim eventurum auguramur, ſi quis poſt operam noſtram meliores codices hic illic latitantes diligenter excuſſerit.* Haec ego non adduxi, ut hanc emendationem, cujus laudem Sarbievio deberi ſupra pag. 50. oſtendi, improbarem, verum ut te vere tribus in locis auguratum eſſe demonſtrarem, teque non mediocri laetitia afficerem: emendationes enim a te factas tres in vetuſtis libris reperi. Earum prima eſt, Carm. Lib. I. XII. vv. 43. 44.

Saeva paupertas & avitus apto
Cum lare fundus

Ubi tu ſic ſcribis, *mallem* arto *ſi per libros liceret. Claudian. in Rufin. I.* 203.

Et caſa pugnaces Curios anguſta *tegebat.*

Noſ-

Digitized by Google

Noſter Carm. I. 38. *ſenſu eodem;*

Neque te miniſtrum
Dedecet myrtus, neque me ſub arta
Vite *bibentem.*

Arcto habet edit. Philippi Lavagniae A. 1477. verum haec lectio profecta eſt ab inepto Correctore elegantiſſimam elocutionem non intelligente. Nullo enim in loco clarius quam in hoc elucet curioſa Horatii felicitas. *Apto cum lare* ſignificat parvam villam; fundo autem paucorum jugerum, quales erant Antiquorum, quae villa praeter parvam convenire potuit? Cicero de Legibus L. II. c. 1. *Sed hoc ipſo loco cum avus viveret, & antiquo more parva eſſet villa, ut illa Curiana in Sabinis, me ſcito eſſe natum.* Quod ſi Interpolator, quae Torrentius ad haec verba adnotavit, legiſſet, is profecto temerarias manus huic ſententiae non admoviſſet. *Apto cum lare fundus. Optime*, inquit Torrentius, *expreſſit Catonis de Re Ruſtica praeceptum:* ita aedifices, ne villa fundum quaerat, neve fundus villam. Praeterea haec emendatio convellitur adnotatione tua ad Carm. III. XVII. v. 13.

Annoſa cornix, dum potes, aridum

Ubi, *tres*, ais, *veterrimi codices*, *Leidenſis*, *Graevianus & a prima manu Reginenſis* potis *non* potes. *Sine dubio ab Horatii incude: unde enim bonis illis Librariis nummum tam rarae notae?* & unde quaeſo bonis illis Interpolatoribus tam pulchram locutionem *apto cum lare fundus?* Interpolator autem facillime potuit invenire

 arcto.

Digitized by Google

arcto. Nam apud Horatium habentur arcta *convivia*, arcta *toga*, arctum *animum*, artum *cavum* &c. Quare inſcite ſcripſiſti *mallem* arto *ſi per libros liceret*; nam ſi mille haberent *arto* contra unicus *apto*, qui non ſentiat hoc rarum & elegans eſſe, illud vile & vulgare, hebetis ſit ingenii.

Deinde Carm. Lib. II. V. vv. 11. 12.

Diſtinguet Auctumnus racemos
Purpureo varius *colore.*

ubi, *ita*, ais, *noſtri omnes: Lambini tamen aliquot*,

Purpureus vario *colore.*

Et utramvis quidem lectionem ille probat; ego vero neutram. Quis enim vel Poëta dixerit, vel Pictor finxerit Auctumnum, aut varium colore purpureo, aut vario colore purpureum? Sine dubio ſubeſt mendum. Quid ſi ex conjectura repoſueris,

jam tibi lividos
Diſtinguet Autumnus racemos,
Purpureo varios *colore.*

Certe poſteriora verba ad racemos, *non ad* Auctumnum *pertinent: Ovidius Metam. III.* 483.

Non aliter quam poma ſolent, quae candida parte,
Parte rubent: aut ut variis *ſolet uva racemis*
Ducere purpureum, *nondum matura*, colorem.

Qui locus ex Horatiano hoc plane expreſſus videtur: utrobique enim habes varios racemos, *&* purpureum colorem. Propertius IV. 2.

Prima mihi variat liventibus uva racemis.

Plin. Hiſt. XVII. 22. *Ubi* uva varia *fieri coeperit, vites ſubligato.* Ovidius in Nuce, 31.

Quaeque ſibi vario diſtinguit poma colore,

Au-

Digitized by Google

Audiat hoc ceraſus: ſtipes inanis erit.

Equidem *varios* in uno MSto. & in edd. A. 1485. A. 1486. reperi, & ita citat Manuel y Faria in Commentario Hiſpanice ſcripto ad Luſiada Poëtae Camoens: hic quoque importunus Interpolator tibi gloriam inventi praeripuit. Sed *varius* omnino retinendum, & eleganter dixit Horatius *varius Auctumnus*; quia varios fructus producit, vel fructus variat; ſic Lucret. L. 1. v. 7.

tibi ſuaveis daedala tellus
Summittit flores,

Daedalam *a varietate rerum dictam eſſe apud Lucretium Terram facile eſt intelligere*, *cum Graece* δαιδάλλειν *ſignificet* variare. Feſtus in *Daedalam*. Deinde graviter in eo peccaſti quod *colore purpureo* referri ad *varius* putaveris: ordo enim eſt, Auctumnus varius diſtinguet purpureo colore lividos racemos, ut recte adnotavit Cl. Dacerius. Cicero in Arat. v. 161.

Et vario *pinxit* diſtinguens lumine *formas*,

& Ovidius Metam. Lib. V. v. 266.

Antraque, *&* *innumeris* diſtinctas floribus herbas

Varius autem mutavit Interpolator in *varios* ut propinquiori ſubſtantivo *racemos* conveniret: & ad te omnino ſpectat quod de Librariis ſcribis ad Carm. Lib. III. XV. v. 16.

Nec poti vetulam *faece tenus cadi*

Quidam libri, ais, *habent* vetula. *Rectius tamen* vetulam: *Decet te vetulam abſtinere a conviviis adoleſcentium*; & cauſam peccandi adjicis;

Digitized by Google

jicis; *Mutarunt Librarii, ut priori verbo ſaece conveniret: quae ſollemnis eſt eorum hominum hallucinatio.*

Sequitur tertia Emendatio. Carm. III. II. v. 14.

Mors & fugacem perſequitur virum

Ubi tu ſic. *Tolerabilis ſane lectio eſt* perſequitur: *ſic enim* alibi Serm. II. 7. v. 115.

Fruſtra: nam comes atra premit, ſequiturque fugacem

& Seneca Controverſ. 8. 4. *Quis miretur eum mori voluiſſe, quem* fugientem *quoque Fortuna* perſequitur? *Variatum tamen in libris: nam tres Lambini, unus Cruquii cum Graeviano & Petrenſi* proſequitur. *Nimirum facilis & frequens Librariorum lapſus erat in praepoſitionibus compoſitis; ut qui manibus membranas veteres verſarunt, probe ſciunt. Quale & hic accidiſſe crediderim. Quippe quod alii jam obſervarunt,* aperte hic *Noſter imitatus eſt Simonidem, & verbum de verbo reddidit,*

Ὁ δ' αὖ θάνατος ἔκιχε καὶ τὸν φυγόμαχον.

Atqui EKIXE *majus quiddam eſt, quam* perſequitur. *Nam* perſequi *nihil aliud eſt quam* ſequi: κιχεῖν *vero eſt* aſſequi, conſequi, nanciſci, prehendere. *Quare nullus dubito, quin Horatius ſic ſcripſerit,*

Mors & fugacem conſequitur *virum.*

Quid hoc interſit: ex Seneca diſces de Beneficiis, V. 5. Non eſt turpe non *conſequi*, dummodo *ſequaris. Curtius adeo appoſite, ut ad hunc ipſum Flacci locum reſpexiſſe videatur, IV. 55.* Effugit *mortem*, quiſquis contemſerit; *timidiſſimum* quemque CONSEQUITUR. Ego quidem inveni in exem-

Digitized by Google

exemplari notae non optimae *conſequitur*, quod ſine ulla controverſia in contextum induxit Interpolator, putans Morti magis convenire *Fugacem conſequi* quam *perſequi*. Et cum, quemcumque mors perſequitur, mortis laqueos non effugiat, loquendi modo minus trito uſus eſt Horatius, atque hoc eodem modo expreſſit Democritus, *Τοὺς ἀνθρώπους φεύγοντας τον θάνατον διώκειν.*

Reſtat, ut quae in hac Nota peccaveris, oſtendam. Et primo facilem eſſe Librariorum lapſum in *pro*, *per*, *prae*, tibi concedent omnes; verum *con* eos uſquam pro aliqua ex illis praepoſitionibus ſcripſiſſe concedet nemo. Quod ſi uſquam ſic ſcriptum invenietur, dicendum erit id errati non Librariis ſed Interpolatoribus adtribuendum eſſe; veluti in hoc loco, nimirum putavit Interpolator ad vim mortis exprimendam aptius eſſe *conſequitur* quam *perſequitur*.

Secundo in eo peccas, quod ſcribis perſequi *nihil aliud eſſe quam* ſequi: rectius enim ejus verbi vim expoſuit Donatus ad Terent. Andr. Act. V. Sc. IV. v. 32. *meque in Aſiam perſequens proficiſcitur*. Et perſequens, ait Donatus, *dicit*, *perſeverationem ſequentis oſtendens*. Perſequitur *enim*, *qui non deſinit ſequi*. *Virgilius*,

> *Quae te ſola, puer, multis e matribus auſa*
> Perſequitur:

Tertio, *Simonidem*, ais, *hic imitatus eſt Horatius*: & hoc quidem verum eſt: at, quod addis *Noſtrum verbum verbo reddidiſſe*. Illud ex eo

Digitized by Google

eo quod Poëtam Graecum imitatus eſt, non recte concludi Nota tua ad Carm. III. XI. v. 9. demonſtrat, ubi haec habes: *Jam ut concedamus Noſtrum Anacreontea illa ante oculos habuiſſe, quamquam hoc quidem incertum eſt; novimus tamen eum non multum amare* fidos *illos* interpretes, *& ſerviles imitatores, qui* verbum verbo *exprimendum curant*.

Cum has tres emendationes in Notis tuis legerem, divinavi eas in veteribus libris repertum iri. Propterea quod eae Interpolatorem ſaperent, neque me mea opinio, ut jam oſtendi, fefellit. Nunc duas adjiciam quarum neutram in ullo libro inventum iri praedico; prior eſt Carm. Lib. III. XXIV. v. 44.

> *Magnum pauperies opprobrium, jubet*
> *Quidvis & facere & pati*
> *Virtutiſque viam* deſerit arduae.

Ubi tu, *Quod tolerabile quidem eſt, Lectori non nimis difficili & faſtidioſo. Sed vide, quanto melius ſic concipi poſſit*,

> *Virtutiſque viam* deſerere arduae.

Non enim paupertas deſerit, ſed jubet homines avaros quidvis facere patique & deſerere *viam virtutis. Utique ipſi homines deſerunt; ut Noſter Epiſt. I.* 16.

> *Perdidit arma*, locum virtutis *deſeruit, qui*
> *Semper in augenda feſtinat & obruitur re.*

Illud me induxit, ut numquam in ullo codice *deſerere* inventum iri crederem, quod hoc interpolandi genus ab ingenio Correctorum abhorreret; nam ſi ii in libris ſuis inveniſſent *deſerere*, illud

Digitized by Google

illud in *deſerit* non mutaſſent; cum praeceſſerit *jubet quidvis facere & pati*, & idcirco retinendum *deſerit*: quod paupertati hoc tribuere magis Poëticum eſt, quam illud *jubet deſerere*. Sic Tibull. L. II. 7. v. 3.

> *Spes alit agricolas, ſpes ſulcis credit aratis*
> *Semina,*

& Horatius paupertatem vocat audacem: denique notiſſimum eſt illud Quinctiliani Inſt. Oratt. L. VIII. c. 6. *Illud quoque & Poëtis & Oratoribus frequens, quo, eum qui efficit, ex eo quod efficitur, oſtenditur*, & Lambert. Bos, Vir doctus, in Animadverſ. ad Horatium hoc genus loquendi inuſitatum non eſſe oſtendit. Quod autem idem Lamb. Bos ad hunc verſum ibidem ſcribit, imperitiam ejus in numeris dignoſcendis arguit; verba ejus ſunt haec: *Vitare haud dubie voluit Flaccus Noſter ingratam illam duritiem in vocibus* deſerere arduae, *atque adeo dicere maluit*, deſerit arduae, *quod mollius longe eſt dictum, & ſenſu eodem.* Atqui exprobrationi, objurgationi, indignationi exprimendae non molles numeri ſed aſperi ac duri conveniunt: quae obſervatio melius docet *deſerere arduae* non idcirco improbandum quod auribus ob duritiem ſit ingratum, quam exempla, quae tu adfers, quamquam ea á propoſito tuo aliena non ſunt: quae tamen caſu non conſilio & ex artis ſcientia a te allata eſſe nullus dubito. Sed lubet verba tua adſcribere. *Neque vero tenellas aures offendat litera* R *ſaepius repetita* deſerere arduae: *ſic enim infra III.* 28. *Par-*

Digitized by Google

Parcis deripere horreo.

& Virgilius aliquanto durius Aen. IV. v. 350.

Et nos fas extera quaerere regna

O miram numerorum inſcientiam! nam hoc ipſo, quod *deſerere arduae* aures radat, ad rem, in qua verſatur Poëta, exhibendam adcommodatum eſt; neque enim ſuaves numeri in re odioſa quaerendi. Illud autem *deripere horreo* indignationem Poëtae literarum aſperitate repraeſentat, & in illo Virgilii *R* litera non ſolum quater habetur, verum etiam *RE* ter repetitur: ubi Pierius adnotat, *Adverte vero* κακοφωνίαν *in triplicata* re *ſyllaba in earum dictionum continuatione qua*erere *regna:* Maranta vero Lucullan. Quaeſt. Lib. III. non male oſtendit Virgilium hoc ex arte feciſſe; *cum indignantes*, inquit Maranta, *& irridentes loqui introducit eligit ſyllabam* Re & *aſſiduam ponit.* Sed de tota hac re diligenter ſcribo in Notis ad Horatium. Hic ſubjungam Lambini conjecturam, is, quamquam *arduae*, quod omnes codices habent, non improbat, putat tamen, *quia ſine multo labore ad virtutem perveniri non poteſt*, arduam *legendo*, *hoc melius exprimi.* Sed H. Stephanus Diatr. de ſua edit. Horat. p. 47. vulgatam lectionem firmat ex Statio Lib. X.

Hac, ait, in Thebas hac me jubet ardua virtus

Verum, etſi plurimorum codicum auctoritate *arduam* firmaretur, *arduae* tamen alteri praeferri deberet, non ſolum ob hoc quod *arduam* Interpolator videretur ad propinquius ſubſtantivum

Digitized by Google

tivum retuliſſe, verum in primis quod in duabus lectionibus, quarum utraque eſt commoda, ea cenſenda eſt vera, quae ingenio Interpolatoris minus congruit. *Virtus* autem *ardua* eſt locutio minus trita, quam eſt *ardua via*. Atque haec obſervatio duplicis peccati te coarguit. Carm. Lib. I. XXIX. vv. 13. 14.

Cum tu coëmtos undique nobiles
Libros Panaetî

Ubi *Editi*, ais, *opinor omnes repraeſentant* NOBILES. *Plures tamen ex meis codices*, *Reginenſis*, *Batt. Magdal. Galei*, *Mori*, *Petrenſis*, NOBILIS. *Neque dubites*, *quin & bona pars librorum*, *quos Interpretes inſpexerunt*, *ſic habuerint*; *quamvis id ipſi ſilentio tegant. Optimus tamen Berſmanus teſtatus eſt*, *ex tribus ſuis codicibus duos habere* nobilis. *Ambiguum igitur ex vetere ſcribendi ratione fit*, Nobilis *ne* libros *voluerit Noſter*, *an* nobilis Panaetii. *Ego vero ne dubitare quidem poſſum*, *quin* nobilis *ad Panaetium attineat*, *ne* libros *duplice epitheto accumulemus*. O miſerum epithetorum judicem! nam *coëmptos* valet quos coëmiſti, & hujuſmodi adjuncta pro epithetis nequaquam habenda ſunt.

Cicero Orator. ad Brutum c. X. injuſti *oneris* impoſiti *tua culpa ſit*. Virgil. Aeneid. Lib. I. v. v. 535.

Cum ſubito adſurgens *fluctu* nimboſus *Orion*

Deinde *Nobilis Panaetî*, recte dici quinque exemplis demonſtras: quod quidem bene dici nemo ignorat. *Recte tamen*, ais, *alias dicere poteris*,

Digitized by Google

poteris, nobiles libros, *ut Noſter in Arte*, nobilibus trimetris, & *Martial. VII.* 46. nobilibus libellis. Verum *nobiles libros* rectè dici non tam exempla, quam apta verbi *nobilis* ab homine ad rem ratione carentem tranſlatio declarat. Quoniam autem *nobilis* de Scriptore rectius quam de libro dici Interpolator inſcite exiſtimavit, eam lectionem repudiandam, & alteram *nobiles* aut *nobilis* accuſativi pluralis, eligendam putamus. Ceterum de duplici epitheto fuſius agimus in Notis. Alter error tuus extat in Nota ad Carm. Lib. II. XVII. vv. 24. 25.

volucreſ*que fati*

Tardavit alas;

ubi *Lambini quidam codices*, ais, *Berſmani unus, ex noſtris Petrenſis cum Editione Loſcheri habent*, VOLUCRES. *Et ſic etiam legitur apud Servium ad Aen. IV.* 610. *Quin & vetuſtiores membranae, quae exhibent* VOLUCRIS, *id ex antiqua ſcribendi ratione ſervant; ut nempe ſit quarti caſus numeri pluralis, non genitivi ſingularis. Et ſic in hac noſtra editione accipi volo*, volucris, *hoc eſt*, volucres. *Elegantius certe* volucres alas fati, *quam* alas fati volucris; *Noſter Carm. III.* 29. *de Fortuna:*

Laudo manentem, *ſi* celeres *quatit*
Pennas, *reſigno quae dedit.*

Virg. Aen. v. 217.

Radit iter liquidum celeres *neque commovet* alas.

Ovid. Art. II. 45.

Remigium volucres *diſponit in ordine* pennas.

eadem

eadem obſervatio jubet *volucris* cum verbo *fati* jungi; quae conſtructio tanquam minus trita diſplicuit Interpolatori, & ei placuit *volucres* ad *alas* referri, quo nihil eſt notius: verum *volucris* fati & longe eſt elegantius & figuratius; & ad hanc lectionem firmandam haud parum valet, quod tu, aut potius Fabricius, adnotaſti ad Carm. III. II. *qui* Cereris *ſacrum volgarit* arcanae. Ubi tu, *porro eſt*, ais, *qui legendum autumet* ſacrum arcanum; & id bene dici multis exemplis, ſed non neceſſariis, demonſtras: quis enim *ſacra* arcana recte dici neſcit? Verum ſcite adjicis; *Nihil mutandum. Nam idem valet* arcanae, *ac ſi* arcanum *dixiſſet*, *& eſt figuratius.* Nota autem Fabricii, a te non nominati, ſic ſe habet: Cereris arcanae. *Haec communis lectio*, *& poëtica*, *cum* Cererem *vocat* arcanam, *cujus ſacra arcana ſunt. Unde minus placet* ſacrum arcanum: *hoc enim populare nimis.*

Nunc ad alteram tuam accedo Emendationem, quam in nullo codice unquam inventum iri exiſtimo. Carm. Lib. I. I. v. 5.

Terrarum dominos evehere *ad Deos.*

Et ut ita ſentiam, illud me movet, quod inepti Correctores, conſtructionem verborum minus notam in notiorem mutare conſueverunt; notam vero in minus notam non item. Jam haec verborum conſecutio *palma nobilis evehit* eſt notiſſima, altera, *nobilis evehere* longe minus nota eſt; & idcirco ne ulli quidem Interpolatorum, ut dixi, in mentem veniſſe credendum: quod au-

 tem

Digitized by Google

tem ad hanc conjecturam attinet, omnino fatendum eam fidiſſima emendandi regula ſuſtentari; ex ignorata enim verborum conſecutione plurimos Horatii locos ab indoctis hominibus eſſe corruptos diverſae veterum Codicum lectiones declarant. Illud quoque dicendum puto, eandem conjecturam, qui Correctorum audaciam & inſcitiam hac in re cognoverit, ejus curam effugere non potuiſſe: quoniam non ſolum perplexus verborum ordo, verum etiam variae Interpretum de eorum conſtructione ſententiae, Criticum ad locum emendandum non potuerunt non excitare. Ille autem ſic excitatus, & ad conſtructionem animum advertens, facile conjectare potuit, pro *evehit* forte legendum *evehere*, errore ſcilicet ex ignorata conſtructione procreato; quod eo confidentius adfirmo, quoniam quinquaginta vitia à te & aliis omnibus praetermiſſa, ex Horatii libris, hac regula adjuvante, ſuſtuli. Vide ſupra pagg. 23, 24, 25, 26. Quamquam autem huic loco Regula Critica medicinam offerat, eam tamen non cenſeo adhibendam eſſe; cum conſtans omnium codicum lectio haud incommode defendi poſſit.

Prius vero quam hanc emendationem expendero, non ab re fore duxi, ſi manifeſtos errores duos, quibus adnotationem tuam contaminaſti, refellerem. *Illud*, ais, *primum obſervabis*, τὸ ſunt-quos *junctim accipiendum eſſe*, *perindeque eſſe ac ſi* quoſdam, aliquos *dixiſſet*. Noſter Serm. I. IV. v. 24.

Quod

> *Quod* ſunt-quos *genus hoc minime juvat, utpote plures*
> *Culpari* dignos:

Ubi niſi ὑφ' ἓν *legeris*, digni *utique non* dignos *dictum oportuit*. Quid? non vidiſti ex ignorata conſtructione ab Interpolatore *digni* in *dignos* idcirco mutatum, quod *dignos* ad *juvat* referendum putavit? Ordo autem verborum eſt hic: Quod ſunt, utpote plures, id eſt & quidem plures, vel utique plures, (*utpote* enim eſt particula confirmantis) digni culpari, quos hoc genus minime juvat. Interpolator *digni* in *dignos* mutavit, exiſtimans id, ut dixi, ad *juvat* referri. Deinde Art. Poët. vv. 361. 362.

> *Ut pictura poëſis*: erit-quae, *ſi propius ſtes*
> *Te capiet magis*; & quaedam, *ſi longius abſtes.*

Et hic quoque, ais, *niſi* ὑφ' ἓν *adſciſcis*, quae *erat dicendum non* quaedam. Immo ante *quae* ſubauditur *quaedam*; & ordo eſt *erit* quaedam quae *te capiet magis*, *ſi proprius ſtes*; & repete erit quaedam, repete etiam ἀπὸ κοινοῦ quae te capiet magis. Cicero de Nat. Deor. Lib. I. c. 37. *Beſtiarum autem terrenae ſunt* aliae, *partim aquatiles*, *aliae quaſi ancipites*, *in utraque ſede viventes*: ſunt quaedam *etiam* quae in *igne naſci putentur*. Itaque conſtat *ſunt quos* conciſe dixiſſe Horatium ut *quidam*, ſcilicet homines, ſubintelligatur. Et recte Xylander, ſunt quos, *Ellipſis vocabuli*, aliqui, quidam, *Latinis uſitata*; *maxime in narrationibus variis ejuſdem rei. Livius Lib. I. Sunt qui Larentiam &c.* & Voſſius Art. Grammat. Lib. VII. c. 19. cenſet *homines* hic ſubaudiri.

 Se-

Digitized by Google

Secundo peccas in eo, quod ſcribis, *Illud deinceps notabis*, juvat collegiſſe, juvat meta, juvat palma, *vocabulum unicum* juvat *in eadem periodo modo perſonalis verbi*, *modo imperſonalis poteſtatem haberet*. Atqui *collegiſſe pulverem Olympicum* hic habet vim nominativi. Vide Sanctii Minerv. Lib. III. c. 6. & Urſini Inſtitutt. L. Lat. p. 2. pag. 171. Sed hic duplex verbi *juvat* officium duobus confirmas exemplis. *Sic*; ais, *Noſter alibi*, Carm. IV. I.

Me nec femina, *nec* puer,
Jam nec ſpes *animi credula mutui*,
Nec certare juvat *mero*.

Et hic *certare mero ſtat* pro nominativo. Deinde ex Juvenale XI. v. 199. idem comprobare conaris,

— *Spectent juvenes*, *quos* clamor *& audax*
Sponſio, *quos cultae* decet aſſediſſe *puellae*.

immo, *aſſediſſe cultae puellae* vice nominativi fungitur.

Nunc ad *evehere* pervenio. Juvat integrum locum adſcribere.

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegiſſe juvat; *metaque fervidis*
Evitata rotis, *palmaque nobilis*
Terrarum dominos evehit *ad Deos*.
Hunc, *ſi mobilium turba Quiritium*
Certat tergeminis tollere honoribus;
Illum, *ſi proprio condidit horreo*
Quicquid de Libycis verritur areis,
Gaudentem patrios findere ſarculo
Agros, *Attalicis conditionibus*

Num-

Digitized by Google

Numquam dimoveas, *ut trabe Cypria*
Myrtoum pavidus nauta ſecet mare.

Jam quaeritur, inquis, HUNC *&* ILLUM *unde pendeant, & cuinam verbo connectantur. Aut enim haec ſtructura eſt*, Juvat hunc, illum; *aut iſta eſt*, Evehit hunc, illum: *aut illa deni que*; Dimoveas hunc, illum: *nihil eſt quartum: & tamen nulla ex his tribus conſtructio recte procedit.* Immo quartum eſt, unde hunc & illum *pendeant*, utrumque enim pronomen & a *juvat* & ab *evehit pendere* dici poſſe. Sed de hoc infra, nunc doctorum Virorum explicationes ſubtexam. A Lambino exordiar, cujus Notam ad hunc locum nemo, quod ſciam, adduxit, eam puto ob cauſam, quod neque in priore neque poſteriore Cl. Viri editione Horatiana extat: ea reperitur in commentariis ejus ad Lucret. A. 1570. Lib. IV. v. 1162.

At gemina & Mammoſa, Ceres eſt ipſa ab Jaccho.

Illum, numquam dimoveas, ſi ſit dives arator, & magnam vim frumenti ex agris ſuis percepti, & collecti in horreis ſuis condiderit: illum (inquam) gaudentem agros patrios ſarculo findere, &c. numquam igitur his perſuadeas, ut navigare inducant animum; ſed haec explicatio quadrare non poteſt, neque hanc probant docti viri: in his Joan. Auratus, Petr. Angelius Bargaeus, quibus aſſentior; Quamobrem autem non ſit probanda, haec cauſa eſt. Quid enim mirum ſit, hominem, cui ſit conditio, & ſpes explorata obtinendorum ſummorum magiſtratuum, & eum, qui habet in horreis ſuis conditum maxi-

 mum

mum frumenti numerum , navigandi periculum adire nolle? Sic igitur potius hic locus explicandus ac diſtinguendus eſt. Sunt quos victoria certaminum Olympicorum evehit ad Deos , hoc eſt, Diis proximos & beatiſſimos efficit; adſcribe ad vocem, Deos comma , hoc modo : Hunc nempe ambitioſum aliquem evehit ad Deos , ſi eum populus Romanus certat afficere ſummis honoribus, ut hoc totum, ſi mobilium turba Quiritium certat hunc tergeminis tollere honoribus , ſit loco ſuppoſiti , ut Grammatici loquuntur , proinde quaſi ita dicat Horatius, alium facit ſibi beatiſſimum videri , ſtudium & voluntas populi Romani in eum conferendorum ampliſſimorum honorum , aura popularis denique. Sequitur deinde : illum ſi proprio, &c. quae ſimiliter explicanda ſunt, repetito ἀπὸ κοινῦ, *verbo, evehit, hoc modo. Illum evehit ad Deos horreum frumenti plenum, quantum eſt in Africa, & intellige hunc non eſſe aratorem, ſed hominem alioqui locupletem & copioſum , qui habet horrea ſua maxima frumenti copia referta. Jam poſt vocem , areis , ſcribe punctum, ſeu interpunctionis notam. Nam quae ſequuntur, dividenda ac ſeparanda ſunt à ſuperioribus, hoc modo, Gaudentem patrios, &c. id eſt, alium autem, qui delectatur agris ſuis, ſibique a patre relictis , eoſque ſua manu libenter arat , numquam vel ampliſſimis conditionibus a ſuo inſtituto demoveas , & adducas , ut naviget.*

Sequitur Jani Rutgerſii Nota in Venuſinis Lectionibus, cap. I. *Ponunt vulgo comma*, ait, *poſt*

poſt areis, *ut ejuſdem viri ſit, & patrios agellos ſarculo findere, & tantum poſſidere, quantum producit Africa. Atqui diſcrimen nimis manifeſtum eſt. Altero enim agricola deſignatur ſedulus, beatus parvo, & talis plane, qualem venuſtiſſime deſcribit in Epodis. Altero dives, qualem alibi opponit Traſio, hoc eſt, quod de Mario Plutarchus dicit,* πλῦτοι ἀρκῦντα βασιλείαις ὅμῦ πολλαῖς, κεκτημένος. *Id enim per Africae meſſes, ob ſingularem ejus provinciae foecunditatem,* * *Poëtae volunt. Unde Libro III. Ode XVI.*

Fulgentem imperio fertilis Africae

pro opulentiſſimo dixit. Deinde quid tantopere mirandum eſt, ſi quis immenſas opes quiete poſſidere mavult, quam exigui lucelli cauſa infido mari ſe committere: Deinde idem haec addit: Palmaque nobilis. *hic* τελεια στιγμὴ *ponenda eſt, Repetendum autem* ἀπὸ κοινῦ *juvat, qui hanc Oden primi contaminare aggreſſi ſunt, offendit genus loquendi duriuſculum, ſed tamen Flacco uſitatum. In hac ipſa ode,*

Eſt qui nec veteris pocula Maſſici,
Nec partem ſolido demere de die
Spernit;

It clarius Carm. L. IV. I. vv. 29. 30. 31.

Me nec femina, nec puer
Jam, nec ſpes animi credula mutui,
Nec certare juvat mero:

Nuc rationes ſubjiciam, quibus vulgatum eveh tuetur Cl. Lambert. Bos Animadverſ. ad Horat. pagg. 27. 28. Evehit, ait, *manere commde poteſt, & debet, dummodo recte percipiatur*

piatur verborum ordo, qui hic eſt: Sunt (*quidam ſc.*) quos juvat curriculo collegiſſe pulverem Olympicum, *quos*que meta evitata fervidis rotis, & palma nobilis evehit ad Deos terrarum dominos. *Scilicet repetendum pronomen* quos *in* metaque &c. *quod ſubintellectum obſcuriorem paullo fecit ſtructuram, & non animadverſum induxit Interpretes ad ordinem verborum alium ſtatuendum tum hic, tum aliis in locis, exempli gratia, in* Carm. Saecul.

Terminus ſervet.

ubi in ſtabiliſque *etiam ex praecedenti repetendum eſt* quod. *Praeterea huic ſententiae melius reſpondet ea; quam inferius in hac Ode de ſe ipſe Poëta ſubjungit;*

Me doctarum ederae praemia frontium
Dis miſcent ſuperis.

Quaſi dictum, victores Olympiae evehit palma ad Deos, ... Me edera Poëtarum ſuperis miſcet. Taceo de ſono ipſo verbi evehere, *qui in verſu durior & ingratior eſt auribus; tum propter toties repetitam in ſyllabis ſe invicem ſequentibus literam* e, *tum propter eliſionem: contra mollior & ſuavior longe eſt verſus, ſi legas* evehit.

His adductis, quid de varia hujus loci interpunctione, verborumque conſtructione ſentiam, quam pauciſſimis potero, exponam. Ac primo, merito ſane tibi poſt Dacerium & alios nova Rutgerſii diſtinctio diſplicet; quamquam argumentis non admodum validis eam, ut mihi videtur, impugnas. Sic enim ſcribis: *Quam violentum & coactum, ut* palma *divellatur ab* eve-

evehit, *cum ipſa orationis ſeries artiſſime ea connectat? Quam jejunum porro & aridum, omnique Venere ſpoliatum*, palma nobilis; *niſi reliqua ſubjunxeris?* Hae rationes id ponderis non habent, ut interpunctionem Rutgerſianam evertant. Illa (quam aliqua ex parte attigit Cl. Dacerius) mihi eam penitus confodere videtur ratio; cum Horatius in variis hominum ſtudiis declarandis, Olympionicas primo loco poſuerit, idque jure eum feciſſe, ex iis, quae P. Faber Agoniſt. Lib. II. c. 16. Torrentius, Parthenius, & Chabotius huc ſpectantia collegerunt, evidenter apparet: ex multis autem, quos illi congeſſere, locis, duos apponere ſuffecerit. *Apud Graecos in Olympiis viciſſe, (quod pro Flacco ait Cicero) prope majus erat ac glorioſius quam Romae triumphaſſe.* Et Cicero Tuſcul. L. II. c. 16. *Sed quid hos quibus Olympiorum victoria conſulatus ille antiquus videtur?* Olympionicas *caeleſtes quoque appellat Horatius, Carm. Lib. IV. II. v. 17. Unde Olympionicarum vita tanquam feliciſſima etiam in proverbium abiit. Plato Lib. V. de Republ & de Diagorae felicitate, Plutarc. in extremo Pelopidae.* Cum, inquam, Horatius in variis hominum ſtudiis exponendis, Olympionicas primo loco, idque merito collocarit, ſi verba *ad Deos evehit* ſolum ad *Hunc*, *Illum* pertinerent, non ad Olympionicas, dicendum foret eum hic decori rationem habuiſſe nullam. Nam, ut *Illum*, id eſt, opulentiſſimum, cui jure praepoſuit *Hunc*, id eſt, eum, quem populus Romanus ad ſum-

S 5 mos

mos honores evehit, omittam; quid, obſecro, habet is eximii, qui populi Romani ſuffragiis ad ſummos honores evehitur, ut Horatium his verbis *ad Deos evehit* dixiſſe eum eſſe feliciſſimum putemus, non etiam iiſdem verbis Victorem in Olympiis feliciſſimum dixiſſe, cum hujus vita, tanquam feliciſſima, in proverbium abierit? Quid autem de modo honores illos adipiſcendi judicandum ſit, nos docent duo Ciceronis loci, quos in Nota ad v. 7. Lambinus adduxit. Cicero pro Murena: *Quantas perturbationes, & quantos aeſtus habet ratio Comitiorum, dies intermiſſus unus, aut nox interpoſita ſaepe perturbat omnia, & totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris, &c.* Item pro Plancio. *Non enim Comitiis judicat ſemper populus, ſed movetur plerumque gratia: cedit precibus, facit eos, a quibus eſt maxime ambitus: denique ſi judicat, non dilectu, aut ſapientia ducitur ad judicandum, ſed impetu nonnumquam, & quadam etiam temeritate, &c.*

Secundo, illa Rutgerſii interpunctio, ſalvo verſuum ſubſequentium ordine, ſtare non poteſt. Nam ſi haec verba *Palmaque nobilis* ex Horatii mente periodon complerent, qui Poëtae ingenium artemque ſcribendi perſpexerit, facile intelligat, verſus, qui *palmaque nobilis* conſequuntur; eum collocaturum fuiſſe hoc ordine,

Hunc, ſi mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus;

Il-

Illum, ſi proprio condidit horreo
Quicquid de Libycis verritur areis,
Terrarum dominos evehit ad Deos.

Quoniam, cum verba *Sunt quos juvat* praeceſſerint, *Hunc* & *Illum* ſtatim ſequi, & poſt haec, *evehit* inferri recta ſcribendi ratio praecipit; idque ordo, quem in re ſimili Virgilius Georg. II. & ipſe Flaccus in hoc ipſo Carmine, & Carm. Lib. III. I. aliique Scriptores obſervant, veriſſimum eſſe declarat. Praeterea nova hac collocatione vitaretur ambiguitatis vitium, quo hic locus, modo Rutgerſii ſententia probaretur, laboraret: ambigi enim potuiſſe, utrum *evehit* ad *palmaque nobilis*, an ad *Hunc* & *Illum* referretur; praeſertim cum in antiquis Libris Horatii temporibus nullae extiterint interpunctiones. Itaque cum haecce diſtinctio verſuum ordinem, cui omnes ad unum codices refragantur, quemque ne ipſe quidem Rutgerſius ſequendum eſſe admonuit, induci poſtulet; cumque, hoc ordine ſi verſus non procedunt, Horatius inſcientiae coarguendus ſit, propter hanc quoque rationem Rutgerſii ſententiam improbandam eſſe cenſemus.

Tertio ad hanc Rutgerſii interpunctionem expungendam plurimum valet illud, quod Poëta dicit v v. 29. 30.

Me doctarum ederae praemia frontium
Dis miſcent ſuperis,

Hoc enim ſic accipiendum eſt, ac ſi dixiſſet, Olympionicas palma nobilis evehit ad Deos.

Me

Me doctarum frontium ederae Dîs ſuperis miſcent. Atque hac oppoſitione Rutgerſii diſtinctionem deleri, qui in hiſce ſtudiis hoſpes non ſit, facile concedat; & hac quidem ratione ad Bentleianum EVEHERE evertendum uſus eſt V. Cl. Lamb. Bos; neque inſcite: etſi enim hoc argumentum eam emendationem funditus non evertat, eam tamen vehementiſſime concutit.

Deinde, *Illud* evehit, ais, *ut verbi imperſonalis hic vice fungatur, quis patienter ferat?* Hanc rationem verba Lambini modo relata penitus evertunt: tota enim haec oratio: *Si proprio condidit horreo*; *Quicquid de Libycis verritur areis*, ut is bene obſervavit, nominativi vicem ſuſtinet. Et ignoraſſe te, quid de verbis imperſonalibus Sanctius, Scioppius, Perizonius, aliique ſcripſerint, admiror. Atque hoc quidem non ignoravit Acron qui ad Epiſt. Lib. I. XVII. vv. 33. 34.

Res gerere & captos oſtendere civibus hoſtes
Attingit ſolium Jovis.

haec habet; Res gerere, *loco nominativi ſtat*, res gerere: *ut illud Perſii*, Scire tuum nihil eſt.

Denique, ais, *unde datum ſumis, ut qui magnam vim frumenti in horreis ſuis occultaverit, continuo ea de cauſſa* ad Deos immortales evehi *dicatur? Haud crediderim tam facilem tritamque fuiſſe ad Superos viam.* Et haec quoque ratio parum habet ponderis: nam *evehit ad Deos* ſignificat illum feliciſſimum reddit; neque

que enim hoc dicit Poëta ex rei veritate, ſed ex vulgi & eorum opinione, qui ſe Deorum vitam adeptos eſſe putant, ſi immenſas poſſident divitias; & cum de ſe ipſo dixit *Me Dis miſcent ſuperis* (ſic enim legendum in Notis oſtendi, non *Te Dis*, ut conjiciebat Cl. Brouckhuſius) iis verbis indicat ſe in caelo eſſe, hoc eſt, beatiſſimum eſſe; atque hujus locutionis hanc eſſe poteſtatem Viri docti multis exemplis ex optimis Auctoribus petitis comprobavere. Et omnino cum Lambino *Hunc Illum* ad *evehit*, non ad *juvat* referri putamus, & quod ille non obſervavit, pronomen *eos*, non *quos*, ut Cl. Bos voluit, ſubintelligendum; veriſſimum enim eſt, quod ſcribit Scioppius in Grammatica Philoſophica, ubi agit *de Rectione verbi*, *Omne verbum activum tam finitum, quam infinitum regit accuſativum, ſive expreſſum, ſive ſuppreſſum, ſive verbo infinito aut alia ratione commutatum*. Unde apparet verbum *evehit* poſitum, inter pronomen *eos* ſubintellectum, & *Hunc Illum*, & ad *eos*, & ad *Hunc, Illum* referri poſſe. Quod autem ad *juvat* attinet, a quo *Hunc Illum*, mutato *evehit* in *vehere* ſine ulla dubitatione pendere adfirmas, illud tuae ſententiae obſtat, quod cum verba *ſunt quos* verbo *juvat* Horatius praepoſuerit, parum commode, *Hunc Illum* verba illa *ſunt quos juvat* ſubſequerentur; niſi aut *juvat*, aut aliud verbum loco conveniens diſertim poneretur. Neque enim concinne ad hunc modum ſcribi, Sunt quos *juvat colligere pulverem Olympicum*;

me-

metaque . . . . palmaque nobilis ad Deos evehere, *Hunc ſi mobilium*; *Illum*, *ſi proprio &c.* recta ſcribendi ratio comprobat, neque exemplum huic dicendi generi ſimile ex ullo probato Scriptore proferri poſſe confirmo. Nam quod ſcribis, Sunt quos *perinde eſſe*, *ac ſi*, Quoſdam, Aliquos, *dixiſſet*, pro te nihil facit: quoniam, etiamſi haec verba *Sunt quos juvat*, & *quoſdam juvat*, idem ſignificant, prioribus tamen aliud ſubjungi convenit, aliud poſterioribus, & in illo Pindari a te allato,

> Ἀελλοπόδων μὲν τινας εὐφραί-
> Νοισιν ἵππων τιμαὶ καὶ σέφανοι
> Τοὺς δ᾽ ἐν πολυχρύσοις θαλάμοις βιοτά.

ubi τινας vertiſti *Sunt quos*, idque dedita, ut puto, opera, nimirum ut imperitus linguae Graecae Lector crederet Pindarum verbis uſum eſſe Graecis, quae verbis Latinis, *ſunt quos*, reſponderent; τινας autem verti debuit per *quoſdam*.

Illud quoque, quod paullo ſuperius ex Animadverſionibus Lamberti Bos poſui, nonnihil ad receptam lectionem tuendam prodeſt. *Melius*, ait, *illis verbis* Victores Olympiae evehit palma nobilis ad Deos, *reſpondent haec* Me ederae Dîs miſcent ſuperis, *quam reſpondet* emendatio palma nobilis evehere ad Deos: additque *ſonum verbi* evehere *duriorem & ingratiorem eſſe auribus*.

Supereſt, ut de diſtinctione verſus 11. diſſeramus,

Quicquid de Libycis verritur areis.

Ac

Digitized by Google

Ac primo illud admonendum Mich. Brutum poſt *areis*, punctum eſſe ponendum ex Angelii Bargaei ſententia primum animadvertiſſe; *& ita*, inquit, *habent duo vetuſtiſſimi codices, & qui primi ab Aldo excuſi ſunt. Ita autem legendum ratio docet. Diverſae enim ſunt rationes ejus, qui agros colit, & qui horreis frumenta condit.*

Deinde Lambinus & Rutgerſius argumento quod ſupra adtulimus, & quidem firmiſſimo, *Illum*, id eſt immenſas opes poſſidentem ad verbum *dimoveas* referri non poſſe demonſtrarunt: iidemque doctiſſimi Viri & Brutus, ejus, qui infinitas adcumulat divitias, & qui agros a patre relictos arat, ſtudia diverſiſſima eſſe planeque repugnantia, quod & res ipſa vociferatur, oſtenderunt. Sed operae pretium erit Horatii verba paullo diligentius expendere,

> *Illum, qui proprio condidit horreo*
> *Quicquid de Libycis verritur areis.*

Ubi bene Acron, *Species pro genere:* hoc eſt hic deſcribitur is, qui tam vaſta latifundia poſſidet, ut ex iis infinitos percipiat reditus: & hac quidem figura, quae ſpeciem pro genere ponit, Horatium delectari ex hoc ipſo Carmine conſtat. Hic enim habentur *Attalicis conditionibus*, id eſt, ampliſſimis; *trabe Cypria*, id eſt, nave optima; *Myrtoum mare*, id eſt, periculoſiſſimum; *vinum Maſſicum*, id eſt, pretioſiſſimum: & alibi *Pontificiis caenis*; *Mauris jaculis*; *ſerpentibus Afris*; & ſexcenta his ſimi-

ſimilia: &, ut ſcite Parthenius obſervat, Poëta ſpeciem maxime illuſtrem fere ſemper elegit. Unde perſpicuum eſt, his verbis, *qui proprio &c.* Ruſtici Appuli vel locupletiſſimi deſcriptionem non contineri. Praeterea, cum Horatius hoc Carmine varia hominum ſtudia exponat, Agricolam rure exiguo contentum ab eo praetermiſſum eſſe prorſus incredibile eſt. Non Virgilius vitae ruſticae felicitatem divinis verſibus celebravit? Georg. L. II. vv. 458. 459.

O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Agricolas!

& vv. 513. 514.

Agricola incurvo terram dimovit aratro.
Hinc anni labor: hinc patriam parvoſque nepotes
Suſtinet,

& v. 532.

Hanc olim veteres vitam coluere Sabini;

& iterum v. 538.

Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

Sed quid ego Virgilium nomino: non ipſe Flaccus, uti Rutgerſius notat, Epod. II. elegantiſſimo, ac ſuaviſſimo Carmine vitae ruſticae laudes cecinit? Non illic Agricolam parvo rure contentum deſcripſit? At ſi hic *Gaudentem patrios &c.* & *Illum qui proprio &c.* eodem vitae ſtudio teneri, dicamus, illud quoque dicendum erit, quo nihil dici poteſt abſurdius, Agricolae parvo contenti ſtudium ab Horatio omiſſum eſſe. Sed omiſſum non eſſe, ſi haec verba *Gaudentem patrios findere ſarculo*

lo . . . . *Agros* inſpiciamus. Nam ut Epod. II. Agricolam, qui exiguum rus poſſidet, his verbis *Paterna rura bubus exercet ſuis*, demonſtrat, ita hic eundem his verbis *Gaudentem patrios findere ſarculo* . . . *Agros*, ab eo comprehendi quis dubitet? Atque ob hanc quoque rationem *Illum* ad *Gaudentem* non reſpicere apertiſſimum eſt. Et in utroque loco agrum a patre relictum prudentiſſime commemoravit, quia talis agri poſſeſſio & jucundior & honeſtior eſt, quam eſt ab extraneo relicti vel empti. Ceterum hanc Adnotationem illud longiuſculam fecit, quod in loco tam impedito, nihil eorum, quae Viri eruditi ad eum illuſtrandum ſcripſiſſent, omitti oportuit, & quod ab iis praeteritum eſſet, adjici debuit.

CAPUT XVI.

Nonnullae Emendationes Obſervationibus Criticis confirmatae. Bentleius ſemel laudatus, ſaepe reprehenſus.

CArm. Lib. I. XXIII. vv. 5. 6.

Nam ſeu mobilibus veris inhorruit
Adventus foliis.

Hunc locum Torrentius ſic explicat: *Veris adventum foliis inhorreſcere* ait, *ob tunc flantes Favonios*, *quos etiam* veris comites *appellat Lib. III. Od. XII. Inhorreſcit autem foliis*,

 cum

cum paulo horridior incumbit, ut cum Cicero dixit, inhorreſcit mare, *aut Virg.* --- & inhorruit unda tenebris. *Aut certe Enallage eſt*, ut non veris adventum foliis, ſed folia adventum veris *inhorreſcere intelligamus, ut Virgil. Georg. I. v.* 314.

Spicea jam campis cum meſſis inhorruit.

hoc eſt, contremuit, *ut locum illum exponit Servius.* Et Jo. Bond, *lege ſic & expone per Hypallagen, ſive folia mobilia veris* adventu *inhorruerunt.* Quod tu Latine dici non poſſe contendis; ais enim, *cum retro potius oratio inſtituenda ſit, ut* folia inhorreſcant adventu veris. Atqui hoc per Hypallagen non admodum incommode dici oſtendunt exempla, quae de hac figura congeſſit Vir ſummus Voſſius pater Inſtitut. Orat. Lib. IV. Cap. XI. Sect. 12. Ego ſane putem huic verborum inverſioni non valde abſimilem eſſe illam Horatii Art. Poët. v. 60.

Ut ſylvae foliis pronos mutantur in annos

Sic extat in Libris ſcriptis. Tu vero ſine ulla dubitatione ſic ſcribis: *Inſolens profecto loquendi genus*, Sylvae foliis mutantur; *quodque nullo, ut opinor, exemplo defendi aut excuſari poteſt. In hac conſtructione legerim potius, mutatione minima,*

Ut ſilvae foliis pronos nudantur *in annos.*

Parum circumſpecte ſcripſiſti ſic ad v. 52. Art. Poët.

Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, ſi

Adſciſcimus certiſſimam lectionem, quam Fabricii codices ſubminiſtrant, *Et*

Digitized by Google

Et nova factaque *nuper.*

Nam idem Fabricius in Notis ad v. 60. monet *nudantur* inveniri in codice antiquo. Quare ſi & *factaque* & *nudantur* tibi adrogaſſes, hoc impune magis furatus eſſes; quia, cum in Notis Fabricii inter utrumque locum ſex aut ſeptem verſiculi, aut, ut vulgo loquuntur, lineolae interjectae ſint: hoc *nudantur* te apud Fabricium non legiſſe nemo credet, quod ſi *factaque* apud eundem legi non adnotaſſes, te Fabricium non vidiſſe plurimi fortaſſe exiſtimarent.

Deinde, *eadem*, ais, *ſententia legi poſſe*, *pronos* viduantur *in annos: Quoniam tamen*, addis, folia *hic*, *non* ſilvae *cum* verbis *comparantur*, *oportet utique*, *ut id vocabulum caſu recto efferatur.* Atque ita ſane locus hic citatur a Diomede p. 394.

Ut FOLIA IN SILVIS *pronos mutantur in annos.*
Prima cadunt; ita verborum vetus interit aetas,
Et juvenum ritu florent modo nata vigentque.

Adde & illud, quod dure admodum & inconcinne illa ſubnectuntur, Prima cadunt; *niſi nominativum* Folia *in praecedentem verſum adſciveris. Qualis enim ſodes oratio eſt*, ſilvae mutantur foliis: prima cadunt? *Immo* folia mutantur ſilvis, *& tum demum apte commodeque ſubjunxeris*, Prima cadunt. *Heinſius quidem Daniel* non dubitaverit, *ut ait*, praeferre, quod a Diomede adducitur. *Utinam vero manuſcripti mihi codicis copia eſſet; veram opinor lectionem apud illum Grammaticum deliteſcentem reperirem. Nunc quia res conjecturis agenda eſt;*

Digitized by Google

non crediderim ab Horatii manu eſſe, *quod profert Diomedes: quippe quod ita clarum ac facile eſt ut incredibile ſit a Librariis noſtris interpolari potuiſſe. Illi etenim difficilia & recondita facilioribus*, *non contra*, *ſolent mutare: neque quiſquam inauditum illud*, Ut ſilvae foliis mutantur *perverſe ſubſtitueret*, *ſi in exemplari ſuo inveniſſet quod extra omnem exceptionem eſt*, Ut folia in ſilvis. Virg. VI. 309.

> *Quam multa* in ſilvis *auctumni frigore primo*
> *Lapſa* cadunt folia. Manilius Lib. V.
> *Quot delapſa* cadunt foliorum *millia* ſilvis.

Quamobrem, aut valde fallor, aut ſic dedit Horatius;

> *Ut* SILVIS FOLIA *pronos mutantur in annos*

ubi ſyllaba brevis ſuſtentatur, *tum caeſurae ratione*, *tum ob binas quae ſequuntur conſonantes: qualia paſſim apud Virgilium & alios occurrunt. Hanc porro licentiam cum Librarii datam eſſe neſcirent*; *quid magis in proclivi*, *quam ut* ſilvae foliis *officioſe reponerent? Sed & aliud*, *opinor*, *hic mendum latet in lucem jam protrahendum. Quid enim eſt* in annos pronos? *an vergentes*, *declinantes*, *ſub auctumno ſcilicet*; *ut* prona dies, *decedens*, *apud Statium Theb. II.* 41.

> *Aſt ubi* prona dies,

Hoc quidem Dacerius voluit; *verum haud patitur hanc ſententiam indoles locutionis: ubicumque enim dicunt*, In horas, in dies, in menſes, in annos; *totos & integros neceſſario denotat*, *non ali-*

aliquam eorum partem. . . . . Equidem ſic locum reſtituo;

Ut SILVIS FOLIA PRIVOS *mutantur in annos.*

Amavit hoc vocabulum Noſter, qui & alibi habet priva *triremis, & aliud* privum.

In hac ad v. 60. A. Poët. Adnotatione quatuor inſignia peccata animadverti: nam primo peccaſti in eo, quod obſervatione utiliſſima, quam varietas lectionis ſuppeditat, uti neſciveris; cujus rei ignoratio eum, *qui peracre judicium & ſagacitatem ad veteres codices emendandos, naturae munere naſcendique felicitate, ſibi contigiſſe gloriatur*, quam inſigniter dedecoret, dici non poteſt. Haec autem obſervatio docet in diverſis lectionibus eam ſolam probandam eſſe, quae & ſententiae & metri legi congruat; quaeque ſimul vitioſarum originem patefaciat, quod ſi earum lectionum nulla hoc efficiat, tum demum ad correctionem decurrendum eſſe: emendatio autem non ſolum ejuſmodi eſſe debet ut mendi cauſam oſtendat, verum etiam ut Poëtae menti, ſcribendi modo, & metro conveniat. Jam in v. 60. *Ut ſilvae foliis pronos mutantur*, haec lectio cauſam, cur hanc alius Interpolator in illam, quam e Diomede adtuliſti, *Ut folia in ſilvis* mutaverit, & cur alius pro *mutantur* ſubſtituerit *nudantur*, perſpicue demonſtrat: cauſa autem mutandi fuit figuratae elocutionis inſolentia. Contra tua emendatio, *ut ſilvis folia privos*, neque cauſam *folia in ſilvis* mutandi in *ſilvae foliis*, quae eſt omnium ferme codicum lectio, neque *mutantur* in *nu-*

dantur mutandi cauſam adfert; & ſine ulla dubitatione confirmo, ſi Interpolatores in ſuis codicibus *Ut ſilvis folia pronos* vel *privos mutantur* inveniſſent, id in aliud, quam in hoc *Ut folia in ſilvis* eorum mutaturum fuiſſe neminem.

Secundo peccaſti in eo, quod non animadvertiſti, Poëtam figura, quam vulgo vocant Hypallagen, hic uti: eamque non ineleganter adhibitam eſſe ex eo apparet, quod, cum rei mutationem exponeret, eam verborum inverſione imitatus eſt: eademque de cauſa, Serm. Lib. II. 7. vv. 100. 101. *Uvam furtiva mutat ſtrigili*, uſitato loquendi modo, *Uva furtivam mutat ſtrigilim* praetulit: & Ovidius Metam. I.

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora:

rerum tranſmutationem, uti Viri docti jam pridem obſervarunt, verborum tranſpoſitione feliciter expreſſit. Non abs re erit aliud exemplum mutati verborum ordinis hic ſubjungere, Serm. Lib. I. v. 72.

Paene macros, arſit, turdos dum verſat in igni.

Ubi Lambinus alio ordine ex uno codice hunc verſum exhibet,

Paene arſit, macros, turdos dum verſat in igni.

qui ordo jure tibi diſplicuit, quemque multo ante Voſſius pater improbaverat. Inſt. Orat. Lib. IV. c. 1. Sect. 13. *mirari ſe*, ait, *viros eruditos in nuperis editionibus Lambinum potius ſequi, quam veteres tum Libros tum Interpretes.*

Cau-

Digitized by Google

Cauſam autem, cur lectio Lambiniana improbari deberet penitus ignoraſti; neque ea ab ullo, quod ſciam, allata eſt: eſt autem haec; cum ad varias lectiones dijudicandas veterum codicum auctoritas per ſe non valeat; ſed ratio critica, tanquam obruſſa adhibenda ſit, haec ſcriptura *arſit macros* non idcirco damnanda eſt, quod in uno tantum libro infimae notae invenitur, cum altera *macros arſit* in plurimis optimae notae codicibus legatur: ſed ideo, quod illa Interpolatoris ingenium, haec vero Flacci redolet. Idque ex hac obſervatione apparet, quod Horatius verborum ordinis perturbatione, hoſpitis turdos in igni verſantis motus inconditos, &, ut ita loquar, perturbatos imitari voluit.

Tertio peccaſti in eo, quod *his verbis ſilvae foliis mutantur*, *illa* prima cadunt *inconcinnè ſubnecti* adfirmaſti: nam ad verbum *prima*, ſubintelligi *folia* perſpicuum eſt: &, niſi haec lectio *ſilvae foliis* retineatur, variarum lectionum, ut modo oſtendi, cauſa adferri non poterit, quae tamen adferri debet.

Quarto in illo peccaſti, quod *in annos pronos id eſt declinantes* male dici pronunciaſti, idque hoc argumento confirmas, *hae locutiones, in horas, in dies, in menſes, in annos, totos & integros neceſſario denotant, non aliquam eorum partem.* Atqui cum vocabulum *annus*, etſi integrum annum, non aliquam ejus partem ſignificat, addito tamen epitheto, veluti in his *formoſiſſimus annus, hibernus annus*, inte-

grum annum non denotet; ita *in annos* hic, quia *pronos* adjectum eſt, integros annos non neceſſario ſignificat: ideoque cauſa non eſt, cur in locum verbi *pronos* ſubſtituatur *privos*. Illud autem ſilentio praetereundum non eſt, in hoc verſu 60. particulam *cum* videri deeſſe; recta enim loquendi ratio poſtulat, ut ſententia ſic efferatur, *Ut ſilvae* cum *mutantur foliis in pronos annos, prima cadunt: ita vetus verborum aetas interit*: & omnino obſervandum, in re ſimili particulam *cum* Virgilium adjeciſſe. Aen. I. v. 152.

> *Ac veluti magno in populo* cum *ſaepe coorta eſt*
> *Seditio*,

& Aen. IV. v. 402.

> *Ac veluti ingentem formicae farris acervum*
> Cum *populant*,

& ibid. v. 441.

> *Ac veluti annoſo validam* cum *robore quercum*
> *Alpini Boreae &c.*

& ita in aliis locis. Quare vix dubitem, quin ſic legendum ſit,

> Silvae ut cum *foliis pronos mutantur in annos*;
> *Prima cadunt:*

& dicendum illud *cum* ab Interpolatore ideo ejectum, quod *foliis* a praepoſitione *cum* regi putavit; qui error ſine dubio eum, ut *cum* e verſu detruderet, impulit: deinde ne verſus ſyllaba truncaretur, verborum *ſilvae ut* ordinem invertit: & ſimili ferme modo Interpolator Carm. L. I. XXVII. v. 19.

> *Quanta* laboras in *charybdi*

prae-

praepoſitionem *in* ſuſtulit & *laboras*, integritati verſus conſulens, in *laborabas* mutavit: quae lectio quamvis abſurda, Blandinium quoque codicem, omnium Horatianorum antiquiſſimum, teſte Cruquio, conſpurcavit. Nunc illud huic emendationi non adverſatur, quod particulae comparandi *Ut*, quae praecedere ſolet, verbum *ſilvae* praeponitur. Nam & ſic Virg. Georg. III. v. 237.

Fluctus ut, *in medio coepit cum albeſcere ponto*

& Aen. XII. v. 587.

Incluſas ut cum *latebroſo in pumice paſtor*

Ubi habes *ut cum*. Illud certe neminem offendet, quod *ſilvae ut* reponendo Synaloephe inducitur, hic enim dipthongi & vocalis colliſio dura non eſt, & in primo verſus pede vocales apud Silium etiam in comparatione colliduntur Lib. I. v. 461.

Crine ut *flammifero terret vera regna cometes*,

Ex quibus omnibus facile intelligitur, te intolerabili audacia duplicem emendationem *folia privos* in contextum intruſiſſe.

Poſtremo illud admonendum eſt, lectionem, *Ut folia in ſilvis*, quam D. Heinſius e Diomede protulit, extare in editione Veneta A. 1509.

Sed ad lectionem *veris inhorruit adventus*, unde degreſſi ſumus, regrediamur: ubi illud, quod V. Cl. Joh. Deſprez adnotavit, a te refelli debuerat; ejus verba ſunt haec: *quid ſi* inhorruit *referatur ad* ſilvae, *legamuſque planiori certe ſenſu* ſeu mobilibus veris inhorruit

adventu foliis, *id eſt*, *ſeu tremuit* ſilva veris adventu *flante nimirum Zephiro.* Qua emendatione & enarratione argumenta, quibus lectionem *veris* improbaſti, dilui nonnulli forte cenſeant. Nam hoc pacto Hypallage, quam ferri non poſſe contendis, evitatur. Deinde illis, quas huic adjeciſti, rationibus, nempe *veris adventus inhorreſcere non potuit*, *cum eo tempore non nata ſint folia*, *neque Hinnulei matres quaeritant ante ver adultum*, reſpondere difficile non eſt: dici enim poſſe verbis *veris adventu*, non indicari ipſum veris principium, ſed tempus, quo folia naſci & Hinnulei matres quaerere incipiunt, & ita haec verba hic accipi debere latiore ſignificatu nihil prohibet. Huc adde, erraſſe forſitan hoc loco Flaccum, ſed in re ad artem ſuam non pertinente, qui error in Poëta facile excuſatur, ut monuit Ariſtoteles. Ille ſane error, quem Vir ſummus Jul. Scaliger in Hypercritico ad Carm. IV. IV. v. 7. notavit, priore longe evidentior eſt, neque, ſi verſum illum cum quibuſdam MSStis ſic legamus;

Verniſ*que jam nimbis remotis*

ab hoc errati genere Noſtrum liberabimus, quamquam tu V. Cl. in Nota ad illum verſum, legendo *verniſque* non *vernique Horatium ab omni culpa praeſtari immunem* ſcribis. Nam, ſi verum eſt quod loco jam citato Scaliger adfirmat, *Vix menſe*, inquit, *Auguſto ad venationem apti ſunt Aquilae pulli: quippe Septembri etiam ſunt invalidiuſculi*, profecto
ab

ab omni culpa eum abeſſe dici non poteſt: quod autem ille Vir egregius tradidit, id experientia comprobari mihi relatum eſt. Praeterea ſunt, qui ſine ulla dubitatione pronuntiant quod de *mergis* Epod. X. vv. 22. dicit, falſum eſſe, quia ea volucris carne non veſcitur. Quibus de cauſis Horatium in eo quod de *Aquilae pullo* & quod de *mergis* ſcribit, a vero aberraſſe crediderim; ſed eo errore Poëtae laudes non dehoneſtari.

Nunc lectionem, quam in ſuis libris Muretus invenit, ſubjiciam; *Vitis inhorruit. . . Ad ventum foliis*; ubi tu, *in Mureti*, ais, *lectione illud certe* vitis *conſiſtere non poteſt: quippe in* montibus aviis *nullae omnino ſunt vites, quae Hinnuleos territent.* At Rich. Johnſon. Ariſtarch. Anti-Bentl. pag. 75. ait *in montibus labruſcam, ſive vitem agreſtem creſcere*, hoc addito; *Dices, nemini labruſcam vitem ſimpliciter appellari. At ne Horatio quidem, magno, ùt ipſe dicis, novatori?* Ego ſane hic lectionem *vitis* probarem, niſi ea validioribus argumentis premeretur, quam eſt illud, quod adfers. Nam, ex hoc ipſo, quod ſcribis, *cum nullae omnino* in montibus aviis *ſint vites, Mureti lectionem conſiſtere non poſſe*; recte dicetur Poëtam hic loqui de vite ſylveſtri, idque ex verbis, quae praeceſſerunt, nempe *montibus aviis* haud obſcure colligi, & huic explicationi favere videtur illud Plinii H. Nat. L. 14. c. 1. *Jovis ſimulacrum in Urbe Populonia ex una* (vite) *conſpicimus, tot aevis incorruptum*;

item

item Maſſiliae pateram. Metaponti templum Junonis vitigineis columnis ſtetit. Etiam nunc tectum *Epheſiae Dianae ſcanditur* vite *una Cypria*, *ut ferunt . . . . verum iſta ex* ſilveſtribus *facta crediderim*. Praeterea Flaccus in Carminibus verba, quae alii abſolute ponere non ſolent, haud raro abſolute poſuit, velut Carm. L. I. IV. 10. *ſolutae*, & V. v. 8. *inſolens*. Item L. II. 15. v. 19. *ictus*. 20. v. 19. *peritus*. Item L. III. 24. v. 39. *Duratae*. & Epod. 2. v. 70. *ponere*, hoc eſt fenori pecuniam collocare, quod plene extulit Serm. I. 2. v. 13. *Poſitis in fenore nummis*. Quibus in locis rerum ſeries, quid reticeatur, apertius non oſtendit, quam verba illa *Montibus aviis*, oſtendunt appellatione *vitis* agreſtem denotari. Quoniam autem & *vitis*, & *veris* ab ineptis Interpolatoribus huc intruſa eſſe firmiſſimis rationibus demonſtrari poſſe exiſtimo, pro iis verbum, quod ad Poëtae mentem, metri legem, artiſque praecepta accommodatum ſit, reponendum eſt, & eſt hoc ipſum, quod merito in contextum induxiſti, nimirum *vepris*. Quod laudi tibi dandum puto, quamquam Gogavius Libro Praetermiſſorum Sablonetae impreſſo A. 1567. primus *vepris* reſcribendum eſſe admonuit: qui liber, quia rariſſimus eſt inventu, tibi, ut opinor, viſus non fuit. Hanc autem emendationem tibi memoriam ſuggeſſiſſe idcirco putem, quod eam neque idoneis rationibus ſtabilire ſciviſti, neque argumentum, quod ei adverſaretur, occupaſti. Quod ad

ad prius attinet, *nulla paene*, inquis, *mutatione vepris* legendum eſt. Atqui perexigua inter ſcripturam *vitis* & *vepris* eſt affinitas; & quod addis, *aptiſſime* vepris *cum* rubo *conjungi*, quod exemplis e Plinii H. Naturali & Senecae Hyppolito comprobas, ad demonſtrandandam correctionis veritatem non ſatis valet; quoniam ex eo, quod illi Scriptores *veprem* cum *rubo* conjunxerunt, etiam, ut hic Horatium illud verbum cum hoc conjunxiſſe dicamus, neceſſario non concluditur; cur autem *vepris* ſine ulla controverſia reponendum ſit, duplici ratione evincere conabor; una, quod, cum Horatius miram hinnulei timiditatem duobus exemplis indicare voluerit, ad eam demonſtrandam aptiſſima eum elegiſſe dubitandum non eſt; & eorum alterum eſſe tale, verba illa, *ſeu virides rubum --- Dimovere lacertae, --- Et corde & genibus tremit*, evidenter oſtendunt: quibus enim verbis hinnulei pavor illuſtrius exprimi potuit, quam his, ad leniſſimum exigui fruticis motum a parvo animalculo concitatum, eum totum contremiſcere: & proinde ut alterum exemplum hujus ſimillimum ſit, decori ratio depoſcit: quod autem magis ſimile & conveniens exemplum adferri potuit quam hoc, *ſeu mobilibus* vepris *inhorruit --- Ad ventum foliis, --- Et corde & genibus tremit*; nonne his verbis, Poëta ab alterius parvi fruticis, non arboris, qualis eſt vitis, foliis molliſſimo venti flatu agitatis maximum hinnuleo incuti tremorem, & aptiſſime

&

& ſignificantiſſime oſtendit? Adde, quod ne ullum quidem verbum, quod rerum contextui, metro, & numeris praeter *vepris* conveniat, reperiri poteſt. Forſitan dices hanc rationem illius, quam tu adtuliſti, haud abſimilem eſſe, ſic enim ſcripſiſti, *duo* Plinii & Senecae loci *verba* vepris *&* rubus *aptiſſime conjungi indicant*. Immo ratio illa noſtra & haec tua multum differunt. Nam pone a nullo umquam Auctore verba *vepris* & *rubus* fuiſſe conjuncta, *vepris* tamen hoc loco reponi res, in qua deſcribenda Flaccus verſatur, poſtularet, praeſertim, quia, ut modo dixi, nullus frutex invenitur, hoc excepto, qui hic locum habere poſſit: deinde ut *vepris* reponatur tua ratio leviter ſuadet, e contrario noſtra vehementer, & huic ipſi adjungenda eſt altera, quae ex Arte Critica petitur; haec enim ad veteres codices corrigendos praecipue valet. Ratio autem Critica eſt haec. Quoties duae reperiuntur lectiones, quarum neutra Scriptoris ſententiae convenit, ea emendatio probari debet, quae rei, qua de agitur, congruit, ſimulque originem vitioſae utriuſque ſcripturae deprehendit; at verbum *vepris* & oſtendit, unde lectio *veris*, & unde *vitis* nata ſit: haec enim vox Interpolatoribus inaudita, alteri cauſam praebuit eam e contextu ejiciendi, & *veris* inducendi; deinde ne verbum *inhorruit* nominativo deſtitueretur *Ad ventum* in *Adventus* mutandi; quam lectionem neque ſententiae neque elegantiae Horatianae convenire

res

res ipſa clamat: alteri vero Interpolatori haud paullo acutiori viſum eſt illa verba *mobilibus foliis* expoſcere, ut nomen arboris alicujus in locum *vepris* ſubſtitueretur: & proinde ei placuit *vitis*, quae eſt arbor notiſſima, reponere. Praeterea illud emendationi *vepris* favere videtur, quod hoc verbum ſingularem venuſtatem numeris conciliat: nam aſperi atque horridi ſonitus literarum *P*, *R*, in *vepris*, & *R* geminatae in verbo *inhorruit* efficiunt, ut res non tam narrari videatur, quam ſtrepitus vepris audiri.

Nunc argumentum, quo haec emendatio premi videtur, adferendum eſt, quodque a te, ut ſupra dixi, occupari debuerat, & eſt tale, cum hujus fruticis rectus caſus ſit *vepres*, quod & diminutum *veprecula* plane declarat, cumque *vepris* nuſquam legatur, inſcitiſſime in contextum id verbi inducitur. Verum ut a *vulpes* formatur *vulpecula*, non a *vulpis*, quod in veterrimis Phaedri Libris inveniri N. Heinſius Vir ſummus in Notis ad Prudentium pag. 60. teſtatur; ſic, quamquam *vepris* nunc nuſquam compareat, in uſu tamen fuiſſe credendum eſt; eo magis, quod in loco, in quo verſamur, ut *vepris* legamus, & Poëtae mens & ars emendandi, ut modo demonſtravi, requirunt. Adde quod Caper *vepris* agnoſcere videtur, Putſch. Grammatt. vett. p. 2244. *veper*, inquit, *vel vepres maſculina ſunt.* Ubi pro *vepres* reponendum *vepris*. Nam ut *cucumer* mutarunt in *cucumis*, *ciner* in *cinis*, *puber*, *impuber* in *pubis*, *impubis*,

bis, *pulver* in *pulvis*, *vomer* in *vomis*; ita *veper* in *vepris* mutatum dubitari vix poteſt: in illis quidem lenitatis cauſſa literam *R* omiſerunt, contra in *vepris* ad aſperitatem rei, quam hoc verbum denotat, exprimendam, *R* literam adſcivere. Quod autem Caper *vepris* ſemper eſſe maſculinum ſtatuit, in eo videtur erraſſe; rectius enim dubium eſſe dicetur, frequentius tamen maſculinum. Sic *torquis* saepius eſt virile, ut Urſinus Grammatt. Inſt. vol. 1. pag. 285. docuit; apud Propertium vero idem Vir doctus femininum eſſe oſtendit; Prop. L. IV. X. v. 44.

Torquis ab inciſa decidet unca *gula*.

Et admiror Voſſium Art. Gramm. Lib. III. c. 42. ſic ſcripſiſſe: *Interea cenſeo rectum potius* veper *fuiſſe quam* vepris. *Et movet*, *quod* hunc veprem *dicatur: at illa in ER ſaepe virilia: illa in IS plurimum ſunt feminina*. Nam *vepris* potius maſculinum eſſe illud argumento eſt, quod *cucumis*, *cinis*, *pulvis*, *vomis* idcirco virilia ſunt, quia *cucumer*, *ciner*, *pulver*, *vomer* talia ſunt; & proinde *vepris* obſoleti *veper* genus fere ſemper ſervaſſe cenſendum eſt. Deinde nomina in *IS* plurimum eſſe maſculina compluribus exemplis oſtendit Urſinus Gramm. Inſt. Sect. III. III. c. 23. Ceterum omnia ferme nomina in *ES* & *IS* exeuntia Dauſquius Orthograph. pag. 75. congeſſit.

Nunc duo ſubjungam loca, quae obſervatione in qua verſamur, id eſt, ea, quae e ſcripturae varietate ducitur, praeeunte emendavi:

quae

Digitized by Google

quae emendationes, ut aliae ſupra a me factae, tuam V. Cl. in hac arte imperitiam, ſi verum amas, te cogent confiteri. Carm. Lib. I. XXXIV. vv. 13. 14.

> *Mutare*; & inſignem *attenuat Deus*
> *Obſcura promens*:

Ubi tu, *acute*, ais, *annotavit Dacerius*, *neceſſitate metri coactum Noſtrum* obſcura *poſuiſſe*, *cum deberet dicere* obſcurum hominem, *ut reſpondeat* τῷ inſignem. *Atqui hujus culpae*, ais, *immunis eſt Noſter*, *ſoliſque ea Librariis impingenda eſt. Equidem nullus dubito*, *quin ad hunc modum ſcripſerit*,

> *Valet ima ſummis*
> *Mutare*; & inſigne *attenuat Deus*
> *Obſcura promens*:

Ubi omnia vides ejuſdem formae, ima, ſumma, inſigne, obſcura. *Atque huic emendationi favet codex Reginenſis*, *qui pro varia lectione habet*, inſigne attenuat decus: *nec moramur*, *quod Heſiodus in loco ſimili*, *ad quem forte reſpexit Horatius*, ἀρίζηλον *poſuerit*;

> Ῥέα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει,
> Ῥεῖα δ᾽ ἀρίζηλον μινύθει καὶ ἄδηλον αἴξει,
> Ῥεῖα δέ τ᾽ ἰθύνει σκολιὸν, καὶ ἀγήνορα κάρφει
> Ζεὺς ὑψιβρεμέτης.

uterque enim ſervavit propoſitum ſuum; *Heſiodus omnia illa*, hominibus, *Noſter* rebus *accommodavit*; *ut alii ex Latinis*; *Seneca Thyeſte*, *v.* 598.

> Ima *permutat levis hora* ſummis

Illud hic primo reprehendendum, quod No-

tam Cl. Dacerii ad hunc locum acutam appellas: eſt enim plane inepta; quia non metri neceſſitate coactus, ſed recta ſcribendi ratione adductus, *obſcura* ſcripſit Horatius. Et omnino legendum *inſignia*. Nam, cum Poëta dixerit *ima ſummis*, *obſcura*, & neutro genere & numero multitudinis *inſignia* efferre debuit, quare inſcitiſſime *ima*, *ſumma*, *inſigne*, *obſcura*, ejuſdem eſſe formae adnotaſti. Praeterea tute ipſe ad Lib. I. v. 6.

Terrarum dominos evehit ad Deos

τᾶς pro τι' reponis, ob illud, ais, τοὺς quod ſequitur. Jam ſi peccandi cauſam quaerimus, illud *inſignem* ortum eſt ex ignoratione Epiſynaloephes, per quam vocalis *i* in *inſignia* abſorbetur a vocali *a*: & ex ejuſdem rei ignoratione natum eſt tuum *inſigne*. Simili modo Interpolatores *omnia* in *omne*, *omnem*, mutarunt in illo Virgilii Aen. VI. v. 33.

Bis patriae cecidere manus, quin protenus omnia
Perlegerent oculis,

ubi *i* elidendum; conſtat enim dactylum in extrema verſus Hexametri ſede poni non poſſe. Recte quoque Giſanius ex veteri Libro illud Lucretii Lib. II. v. 718. ſic exhibuit, *ratio diſcriminat* omnia, quae Interpolator in *res terminat omnes* male mutavit: quoniam, ut ex conſequentibus apparet, ibi Poëta de rerum diſſimilitudine agit.

Item Statius Theb. Lib. V. v. 597.

Rapta cutis tenuia *oſſa patent nexuſque madentes*

Tenuia habent duo optimi codices teſte Zinzerlingio

Digitized by Google

zerlingio Juvenil. Promulſ. Cap. 36. & idem Theb. VI. v. 196.

Obnubit tenuia *ora comis ac talia fletu*

& hic quoque duo optimi libri habent *tenuia* teſte Barthio in Animadverſ. ad hunc verſum: ſed utrobique ex ignorata Epiſynaloephe *tenuia* in *tenera* mutaverunt.

Et ſimiliter *I* ab *O* abſorbetur. Virgil. Georgic. IV. v. 243.

Stellio & *lucifugis congeſta cubilia blattis:*

Stellio & omnes Pierii Codices legunt: Et Statius Sylv. I. IV. v. 36.

Sperne coli tenuiore *lyra. Vaga cingitur aſtris.*

& Theb. IV. v. 697.

Dixerat. Aſt illis tenuior *percurrere viſus*

ubi libri interpolati habent *tenuis.*

& Theb. XII. v. 2.

Ortus & inſtantem cornu tenuiore *videbat*

Simili modo *I* ab *U* eliditur, Virg. Aen. VIII. v. 642.

Haud procul inde citae Mettium *in diverſa quadrigae*

Ubi Pierius ſic ſcribit, *Antiqui omnes codices, quotquot habui*, Metum *legunt. . . . . Mutilatamque eſſe dictionem cauſſa metri Servius ait. Sane Mettius duplicato* T *pluribus locis in veterum monumentis ſcriptum animadverti.* Et Graevius ad Suetonium in Domit. Cap. 10. monet *in cod. Salmaſii* Mettium *haberi ut apud Livium* Mettius. Igitur recte N. Heinſius Mettium *in diverſa quadrigae* in contextum recepit, praeſertim cum *omnia, Stellio*, & reliqua

Digitized by Google

mox allata in antiquis libris plene ſcripta inveniantur. Item *I* ab *E* eliditur Epod. XII. v. 7. *Qui ſudor* vietis. *E* quoque ab *A* abſorbetur, Serm. Lib. I. VIII. v. 43.

> *Abdiderint furtim terris, & imagine* cerea
> *Largior.*

Et Serm. II. II. v. 21.

> *Sudando pinguem vitiis albumque neque* oſtrea
> *Nec ſcarus*

Quibus argumentis adductus quin Horatius ſcripſerit *inſignia* non dubitaverim.

Nunc alterum ſubjiciam locum, quem vitio laborare varietas indicat, Serm. Lib. I. III. v. 117.

> *Et qui nocturnus* ſacra Divûm *legerit, adſit*

Ita dederunt, ais, *poſt Aldum Manutium Interpretes omnes*,

> *Et qui nocturnus* Divûm ſacra *legerit :*

neque quiſquam de varia lectione monuit praeter Berſmanum, qui in omnibus ſuis inverſo ordine reperit.

> *Et qui nocturnus* SACRA DIVUM *legerit.*

Quod & ipſe in plus decem inveni; alterum autem ne in uno quidem. Revocetur igitur antiqua lectio; praeſertim cum in priſcis etiam editionibus compareat, Venetis binis, & Loſcheriana. Certe nova illa radit vulneratque aures ſua aſperitate: haec ut lenior molliorque eſt, ita ſine dubio verior. Magdalenenſis tamen longius abſcedit.

> *Et qui ſacra* Deûm nocturnus *legerit*:

ut Virgilius in Georgicis II. 473.

> Sacra Deûm *ſanctique patres.*

&

Digitized by Google

& IV. 521.

Inter ſacra Deûm, *nocturnique orgia Bacchi.*

Verum hoc ornatius paullo eſt & altius aſſurgit quam pro humilitate Satirae Horatianae. Quare plurium vetuſtiorumque auctoritatem hic ſequemur.

Haec adnotatio multis erroribus conſperſa eſt. Nam primo ſex Edd. Aſcenſianae & Pariſienſis 1543. item Venetae 1514, 1516, 1520. & Fabricii 1578. habent *ſacra Divûm*, quod tu in vetuſtiſſimis ſolis extare putas. Deinde foedus error eſt in eo quod adfirmas ſacrilegium crimen turpiſſimum lenibus numeris exprimi debere; numeri enim aſperi quique aures radunt ac verberant ad illud ſcelus repraeſentandum maxime ſunt accommodati. Tertius error eſt in eo, quod ſcribis: *Et qui* ſacra Deûm nocturnus *legerit*, *altius aſſurgere* quam pro *humilitate Satirae Horatianae*: nihil enim his verbis *ſacra Deûm*, quod humilitas Satirae reſpuat, continetur: idque ita manifeſtum eſt, ut rationibus oſtendi non debeat: denique haec verba *ſacra Deûm* ornatiora non ſunt illis, Serm. Lib. II. II. v. 104.

Templa ruunt antiqua Deûm!

Quartum peccatum tuam in numeris dignoſcendis inſcientiam coarguit; nam haec Scriptura *Divûm ſacra* propter caeſurae gratiam praeferenda eſt alteri ſcripturae *ſacra Divûm*; caeſurae enim venuſtatem, niſi cum potior numerorum ratio eam excludit, optimi quique Poëtae ſtudioſe ſectantur; hic autem nulla eſt

 ratio,

Digitized by Google

ratio, quae eam negligendam eſſe ſuadeat. Quintus error te tecum committit, nam ad Epiſt. Lib. I. XVIII. v. 8.

Dum vult libertas mera dici, *veraque virtus.*

Ita libri, ais, *Typis editi.* Immo *dici mera* habet ed. prima Aldi & ed. Aſcenſii 1505. Deinde addis; *Sed melius & concinnius omnes ubique membranae*,

Dum vult libertas dici mera, *veraque virtus.*

Equidem in plus duodecim ita reperi, ne uno quidem diſſentiente: atque ibidem in ſuis, Torrentius, Pulmannus, Berſmannus, & in Adverſar. XXXVII. 22. Barthius. Qui autem eruditam habet, quid interſit facile percipiet. Recte quidem ſcripturam *dici mera* alteri *mera dici* praetuliſti, quamquam enim *mera dici veraque virtus* lenius ſit, quam *dici mera veraque virtus*, tamen lenitatis gratiam hic vincit caeſurae concinnitas. Caeterum agnoſces, opinor, electionem ordinis *dici mera* cum electione ordinis *ſacra Divûm*, Serm. L. I. 3. v. 117. pugnare, non ſolum ob id, quod illi numeri

Et qui nocturnus Divûm ſacra *legerit. adſit*

aures non magis laedunt, quam hi,

Dum vult libertas dici mera, veraque virtus

verum etiam ob id, quod par caeſurae ratio parem verborum ordinem expoſcit. Sextus error ex eo ortus eſt, quod ignoraſti variam lectionem verſus 117. indicare locum mendo laborare. Nam cum in neutra lectione quidquam ab Interpolatorum ingenio & doctrina alienum inveniatur, dubitandum non eſt, quin

utra-

Digitized by Google

utraque lectio ab Interpolatoribus profecta ſit. Utramque ſcripturam iterum ponam, prior eſt haec,

Et qui nocturnus Divum ſacra (*vel ſacra Divûm*) *legerit.*

poſterior,

Et qui ſacra Deûm nocturnus legerit.

Qua varietate admonitus Obſervationes in conſilium advocavi, duaſque ad locum ſanandum concurrere animadverti, unam, verbum rarius cauſam interpolandi imperitis iſtis Criticis praebuiſſe, alteram, verborum conſtructionis ignorationem. Quare ſic lego,

Et qui nocturnus ſacra Dîs ſublegerit.

Virgil. Ecl. IX. v. 21.

Vel quae ſublegi *tacitus* tibi *carmina ſuper*,

Dîs Correctores, quia ad *ſacra* referri exiſtimabant, in *Deûm*, *Divûm* mutaverunt; ſed jungitur verbo *ſublegerit*, & verbis *ſubducere*, *ſubripere*, *ſubtrahere*, *ſublegere* dativum perſonae & accuſativum rei jungi notiſſimum eſt.

CAPUT XVII.

De Diviſione Verſuum XII. Carm. Lib. III.

MISERARUM EST. *Quales ſint in hoc Carmine verſus*, *& quomodo dirigendi*, *non modo inter Interpretes*, *ſed inter vetuſtos Grammaticos magna controverſia eſt.* *Quam ſi aliquando*

Digitized by Google

quando tandem dirimere, & rem extra dubium collocare poſſumus; & gratiam, niſi fallimur, inibimus a Lectore φιλομύσῳ; & eo pacto inſigne flagitium, quod per ducentos jam annos Carmen hoc faediſſime luxavit, in poſterum cohibebimus.

Ab ineptis quidem Poëtis gratiam inibis plurimam, ab ingenioſis profecto nullam; nam, cum verſus Ionici minoris Lyricorum Graecorum ſimillimi ſint, de quibus Cicero in Orat. cap. 55. ſic: *Sed in verſibus res eſt apertior, quamquam etiam a modis quibuſdam cantu remoto, ſoluta eſſe videatur oratio, maximeque id in optimo quoque Poëtarum, qui* λυρικοὶ *a Graecis nominantur: quos cum cantu ſpoliaveris nuda paene remanet oratio.* Cum, inquam, verſus carminis Ionici minoris orationi ſint ſolutae ſimillimi, bonus ac prudens Poëta ne vel unum quidem hujus generis componere conabitur. Neque vero ego ignoro in Poëmatis illuſtris Huetii unum inveniri: Verum Vir ingenio & doctrina praeclarus, laudem ex compoſitionis difficultate quaerens, non videtur animadvertiſſe, eſſe quoque difficilia quae non ſunt pulchra; illud quoque videtur eum fugiſſe, quod Horatii temporibus Lyricis verſibus accedere ſolebat cantus. Igitur cauſa non eſt, cur ab egregiis Poëtis *gratiam ineas*. Deinde ſic ſcribis: *Neque levius falluntur ii, qui hanc Oden pede* parum elaborato procedere *dictitant, adeo ut bene factum ſit, quod ſemel duntaxat Noſter hoc metrum adhibuerit. Imo vero & in primis dulce eſt metrum, & longe omnium operoſiſſimum.*

mum. - - - - Unde magis credibile eſt, difficultate operis offenſum Horatium non amplius ſemel hoc conatum eſſe. Nam magiſter ejus Alcaeus multa carmina hoc metro detexuit, & profecto ſi ad lyram canatur, ut omnia haec chordis ſocianda erant, mirum quendam leporem habet Ionicus minor κατὰ σχίσιν iteratus & revolutus: Sed cum noſtris temporibus Lyrici verſus ad Lyram non canantur, cumque hi Ionici cantu ſpoliati prope abſint a nuda oratione, cumque Horatii carmina omnia, quatuor vel quinque exceptis, ab oratione ſoluta procul abſint; & in exceptorum numero nullum inveniatur, quod aeque ſimile ſit orationi numeris poëticis non adſtrictae, atque hoc eſt Ionicum; non video cur a Muſarum cultoribus gratiam inire debeas. Quamquam enim hoc carmen dulce tibi videtur, illis certe non videbitur; neque qui ingenia ſua in Lyricis meditandis exercere volent, alia fere, praeter Alcaica, Sapphica, Aſclepiadea eos componere in animum inducturos eſſe vix putem; ſi quidem haec carminum genera dulciſſima ſunt, iiſque Poëta noſter maxime delectatus eſt. Sed redeundum eſt ad laudes, quibus novam tuam verſuum diviſionem affici debere jactas. Sane hoc inventum, ſi verum amamus, in perexigua laude ponendum eſſe cenſebimus. Nam ſi miſerorum eſt alienae famae incumbere; miſerorum quoque eſt ex aliena oſcitantia famam quaerere. Quid? idcircone tu laudandus es, quod Lambinus & Torren-

 tius

tius, Ephaeſtionem, & Veteres Grammaticos ſuper verſuum diviſione conſulendos eſſe ne ſuſpicati quidem ſunt? Quid? nonne hi Viri, alioqui erudititiſſimi, in Horatii Poëmatis recenſendis ita ſe geſſerunt, ut eorum in illis emendandis inſcientia, an in Auctoribus & editionibus conſulendis negligentia major fuerit (ut capite ſequenti oſtendemus) dici non poſſit? Jam ſi ob id, quod Ephaeſtionem vetereſque Grammaticos conſuluiſti, te laudibus cumulandum eſſe ſentis, certe ob id, quod non ſubodoratus es Mart. Capellam conſuli oportuiſſe, laudandus non es. Ego ſane, cum hujus carminis verſus undiquaque verſaſſem, ſinguloſque comodiſſime conſtitui poſſe Tetrametros deprehendiſſem, Auctorem illum conſului, cujus verſus mox ponam. Nunc diviſionem eam, quae mihi maxime veriſimilis videtur, ſubjiciam.

Miſerarum eſt, neque amori dare ludum, neque dulci
Mala vino lavere; aut exanimari metuentis
Patruae verbera linguae: tibi qualum Cithereae
Puer ales, tibi telas, operoſaeque Minervae
Studium aufert, Neobule, Liparei nitor Hebri,
Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis;
Eques ipſo melior Bellerophonte, neque pugno,
Neque ſegni pede victus: catus idem per apertum
Fugientis agitato grege cervos jaculari, &
Celer arto latitantem fruticeto excipere aprum.

Hanc

Hanc autem diviſionem auctoritatibus Mart. Capellae, & Diomedis munitus, amplexus ſum. Nam cum ille compoſuerit Ionicum, cujus ſinguli verſus ſunt Tetrametri, vix dubitandum eſt, quin & Graecum aliquem Lyricum & Horatium in eo imitatus ſit, quod carmen habetur Lib. IV. Cap. ultim. de Nupt. Philol.

Venerandos mihi fatus, reverendoſque ſecuta
Referam juſſa pedem, atque ilicet exorſa ſilebunt,
Licet unam decuit juſſae permittere culpam,
Ut honoris precio cederet inferre relatus,
Populum Cecropidarum bene quo palliatarum
Bromius conciperet contumias noſce dolore,
Mage quam crediderat vipeream noſcere poſſet.
Et iners Marſica dudum fieret praeſtigiatrix.
Neque me conſpiceret ſomnificam, vel tumulentam
Loca paſſim blaterantem Jovialibus ſuborſis:
Tamen uni famulandum eſt tibi virgo. reticemus.

Ubi illud primo obſervandum, verſu tertio Capellam pro Ionico a minore Moloſſon poſuiſſe; neque id male, quia longa ſyllaba tantum habet ſpatii, quantum duae breves. Secundo obſervandum, verſu quinto correptam eſſe quartam ſyllabam in *palliatarum*. Quod genus vitii & alibi apud eum invenias; aut potius dicendum pro Ionico, Epitritum primum poſitum. Denique verſu decimo Grotius pro *ſuborſis* reponit *ſub oris*. Verum quia non facile credendum eſt

Ca-

Digitized by Google

Capellam in uno eodemque verſu & Paeona tertium & Epitritum ſecundum pro Ionico minore adſciviſſe, ſic legendum eſſe putaverim.

Joca paſſim blaterantem Joviales ſubtus aures.

Quae lectio non ſolum illud commodi habet, quod Epitritum ſolum pro Ionico ponit, verum etiam hoc habet commodi, quod in primis menti Poëtae congruit. Nam paullo ſuperius de Dialectica loquens; hunc verſum habet;

Nefas tonantis *garriat ſub* auribus.

Adde, quod *ſubtus* videtur ab Interpolatore in *ſub* mutatum, a qua mutatione profecta eſt mutatio verbi *Jovialis* in *Jovialibus*.

Nunc tranſeo ad Diomedem qui ſic ſcribit: Putſch. Grammatt. vett. p. 510. *Ionicus* ἀπ' ἐλάσσονος *dicitur quia hic pes conſtat ex duabus brevibus & duabus longis. Hujus exemplum in Horatio eſt.*

Miſerarum eſt neque amori dare ludum.

Idem p. 524, Ode XII. *Ionicum metrum habet, & per ſingulos verſus ſcanditur.* Miſerarum eſt neque amori dare ludum. *Omnes tres pedes Ionici ſunt.* Atque hos quidem locos tu in Notis adfers, ſed mendoſos eſſe, quae tua eſt ſagacitas, non ſubodoratus es. Ego ſane arbitror in utroque loco poſt *dare ludum* addendum *neque dulci*, quod Interpolator detraxit, quia in ſuis libris, illud in ſecundo verſu poſitum legiſſet. Deinde ſic lego, *omnes* quatuor *pedes:* quod Interpolator mutavit in *omnes tres*, quia

Digitized by Google

quia in primo verſu plures in ſuis codicibus non inveniſſet. Has autem emendationes illa Diomedis verba, *per ſingulos verſus ſcanditur*, firmant; quoniam iis ſignificatur omnes hujus carminis verſus ex iiſdem pedibus & eodem pedum numero conſtare, id eſt, omnes eſſe Tetrametros: nam ſi tales non eſſent omnes, falſum eſſet hanc Oden per ſingulos verſus ſcandi.

Et idem Diomedes p. 328. ſic ſcribit. *Epod. XVII. Ode Jambicum metrum habet & per ſingulos verſus ſcanditur*;

Jam jam ef | fica | cido | manus | ſcien | tiae

ubi verbis *per ſingulos verſus ſcanditur* idem, quod ſupra, denotatur; & alias quaſcunque diviſiones qui tentaverit, aliam, praeter hanc, de qua dici poſſit, *per ſingulos verſus ſcanditur*, non inveniet. Et idem p. 519. docet Carmen Sapphicum & Alcaicum per quatuor verſus procurrere, id eſt utrumque eſſe Tetraſtrophon. Jam adſcribam quae huc pertinentia habet Marius Victorinus, qui Putſch. Grammatt. pag. 2507. ſic ſcribit:

Miſerarum eſt neque amori dare ludum neque dulci.

Conſtat ex Ionico minore, huic ſi copulaveris longam, erit Choriambicum.

Quam miſerarum eſt neque amori dare ludum neque dulci.

Item longa alia appoſita facit Ionicum majorem, ut,

O quam miſerarum eſt neque amori dare ludum neque dulci.

Et

Et idem pag. 2538.

Miſerarum eſt neque amori dare ludum neque dulci

Hujus primordio ſi adjicias, O quam, *erit Ionicus* ἀπὸ μείζονος, *adjectione Spondei: ut*,

O quam miſerarum eſt neque amori dare ludum, neque dulci.

Contra pag. 2618. idem Victorinus : *Libro tertio, metra omnia, fere aut Alcaica, aut Sapphica, aut Aſclepiadea, aut certe ea ſunt de quibus ſupra diſſeruimus, praeter id quod in duodecima Ode invenimus quod eſt Ionicum* ἀπὸ ἐλάσσονος, *ut*,

Miſerarum eſt neque amori dare ludum.

Per totum autem aſma diligentia Poëtica id obſervatum eſt, ut verſus duas ſyllabas breves, ſequentes autem habeat longas, ſic & pes Ionicus minor compoſitus videtur. Digeſtum autem ex duobus Trimetris conjunctis uno Tetrametro ei ſubjecto, ſic,

Miſerarum eſt neque amori dare ludum
Neque dulci mala vino lavere, aut exanimari metuentes patruae verbera linguae.

Haec ego integra idcirco adduxi, quia loci priores cum poſteriore, quod a te animadverſum non eſt, pugnare videantur. In illis enim Victorinus primum verſum Tetrametrum facit, in hoc vero Trimetrum. Sed videtur dicendum, priores locos ab Interpolatoribus integros atque intactos relictos eſſe; propterea quod non animadverterunt in iis, quod ipſorum ſententiae adverſaretur, Grammaticum quidquam dicere; poſteriorem autem locum

Digitized by Google

locum Interpolatorum audaciam non effugiſſe, quia in eo invenerunt, quod apertiſſime ipſorum ſententiae refragaretur. Quamobrem haec verba; *Digeſtum autem ex duobus Trimetris conjunctis uno Tetrametro ei ſubjecto*, exceptis *Digeſtum autem*, eſſe Interpolatorum ad verſuum diviſionem in ipſorum codicibus extantem Grammatici verba adcommodantium putem. Quae autem in eorum locum ſubſtitui debeant, difficile eſt conjicere. Ego ſane nihil inveniri poſſe, quod propius abſit a Victorini ſententia, exiſtimo, quam ſi per verborum inverſionem ſic legamus. *Digeſtum autem* (quod retineo) *ex Tetrametro duobus Trimetris ei ſubjectis*; & ut ita ſentiam, illud me movet, quod altera verſuum diviſio, quae te quoque praeteriit, facit primum verſum Tetrametrum, ſecundum & tertium Trimetros ad hunc modum:

Miſerarum eſt neque amori dare ludum, neque dulci
Mala vino lavere; aut exanimari
Metuentis patruae verbera linguae:
Tibi qualum Cithereae puer ales, tibi telas,
Operoſaeque Minervae ſtudium aufert,
Neobule, Liparei nitor Hebri,
Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis;
Eques ipſo melior Bellerophonte,
Neque pugno neque ſegni pede victus:
Catus idem per apertum, fugientis agitato
Grege cervos jaculari, & celer arto
Latitantem fruticeto excipere aprum.

Haec

Digitized by Google

Haec autem verſuum diſpoſitio tibi diſplicere non poteſt; quoniam iis hoc modo diviſis carmen decem pedibus, quemadmodum illud Alcaei, quod ex Ephaeſtione produxiſti, decurrit, & tota Ode quatuor decapodiis abſolvitur. Ephaeſtionis autem locum, ut à te converſus eſt, adjungam. „ Imperitus quidem aliquis hoc carmen Alcaei ſolutum legibus eſſe „ crediderit: nos vero, cum DECEM ubique „ pedibus decurrere videamus, lege id conſtric„ tum eſſe pronunciare poſſumus. *Ubi*, ais, *in primis obſervandum, omnes ejus carminis clauſulas fuiſſe* DECEM PEDUM. *Inde enim luce ipſa clarius conſtabit, ad Alcaei exemplar hanc, de qua agimus, Odam ab Horatio compoſitam eſſe. Quippe haec ſimiliter decem pedibus Ionicis decurrit: inde rurſus initio capto ſtadium idem metitur; & quatuor ejuſmodi decapodiis tota finitur.* Atqui, cum ea diviſio, quam modo ſubjeci, eaſdem habeat commoditates, quas habet tua, id eſt, cum omnes ejus clauſulae e decem pedibus conſtent, & integrum carmen quatuor decapodiis finiatur, non video cur tua verſuum diviſio illi praeferenda ſit. Adde quod incertus Scriptor Fragmenti cum Cenſorino *De Die Natali* continenter impreſſi Cap. 14. verſum tertium, ut hic poſitus eſt, adducit. *Ionicus*, *Metuentis patruae verbera linguae*.

Idem Cap. 15. *Ionicus eſt*,

Metuentis patruae verbera linguae.

Adji-

Adjiciam trinas verbis ſingulis ſyllabas
Nunc metuentis nunc patruae nunc verbera linguae.
Ubi poſt verbum *ſyllabas* deeſſe videtur, *facio Heroicum*, vel ſimile quid.

Quibus animadverſis, tecum V. Cl. cogites, velim, utrum magis laudandus ſis, quod, cum vulgata & Cruquiana hujus carminis diſpoſitiones ſint ineptae, ad aptiorem inveniendam ab Ephaeſtione & antiquis Grammaticis petiiſti auxilium; an vero culpandus, quod neque Mart. Capellam, neque illud incerti Auctoris Fragmentum inſpexiſti; item quod verba Diomedis, & Marii Victorini, quae ſupra emendavi, non perpendiſti: denique, quod duplicem, quam ſupra poſui diviſionem, non adtuliſti.

Reliquum eſt, ut cauſam pravae diſpoſitionis, quae a te adferri debuit, adferamus. Et vulgatam verſuum diviſionem (nam Cruquiana perabſurda eſt) ex eo natam eſſe arbitror, quod, cum prima cujuſque carminis primi verſiculi litera coloribus depingi ſoleret, ea amplius ſpatium quam primae ſequentium verſuum literae, occupabat, unde factum eſt ut haec verba *neque dulci* primo verſu comprehendi non potuerint: deinde ex eadem cauſa, id eſt, propter primae literae primi verſus magnitudinem, prima ſecundi verſus litera ſuo loco poni non potuit, unde factum eſt, ut eo verſu *exanimari* ſcribi non potuerit. Verum, quo totum hoc apertius fiat, primos tres verſus, uti fere ſcribi ſoliti ſunt, ſubjiciam.

 Dein-

Deinde eoſdem, ut à Grammatico diviſi ſunt, adponam.

Miſerarum eſt neque amori dare ludum,
Neque dulci.
Mala vino lavere; aut
Exanimari metuentis patruae
Verbera linguae.

Illud hic adnotandum verbis *verbera linguae* non ſubjici verba *Tibi qualum Cithereae* quae nos ad tertium verſum pertinere diximus; atque hoc idcirco factum eſt, quod iis verbis *verbera linguae* ſententia finiretur. Et proinde ea diviſio nihil impedit, quo minus noſtra comprobetur. Sequitur diviſio Critici eos eſſe Ionicos minores non ignorantis,

Miſerarum eſt neque amori dare ludum
Neque dulci mala vino lavere; aut ex-
Animari metuentes patruae verbera linguae.

Et hujus quidem carminis verſus, cum Grammaticus verba *neque dulci* ad ſecundum verſum pertinere exiſtimaret, aliter dividi non potuerunt, quàm ſic, ut ſecundus verſus tribus conſtaret Ionicis; tertius quatuor: quod, qui experietur, facile intelliget. Reſtat, ut primae literae in voce *Miſerarum* magnitudo, quae ineptae diviſionis cauſa fuit aliquatenus, neque enim eam perfecte repraeſentare potuit Typotheta, exhibeatur.

M Iſerarum eſt neque amori dare ludum, neque dulci
Mala vino lavere; aut exanimari metuentis
Patruae verbera linguae. Tibi qualum Cithereae.

Illud

Illud hic addendum, primum verſum productiorem eſſe non ſolum ob magnitudinem literae *M*, verum etiam propter eliſiones *u*, *m*, in *Miſerarum*, & *u*, *e*, in *neque*: ſic enim cum pluribus & melioribus libris legendum, cui certiſſima quoque obſervatio ſuffragatur. Tu vero V. Cl. pro *neque* poſuiſti *nec*, falſa obſervatione ſubnixus. Vide Animadv. pagg. 43, 44.

Quod autem attinet ad Aldinam horum verſuum diſpoſitionem,

Eques ipſo melior Bellerophonte,
Neque pugno, neque ſegni pede victus,
Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis.

cum nulla verſuum hujus carminis diviſio, quae incommodis vacet, praeter duas a me ſupra adductas, & tuam, quae primos duos verſus facit Tetrametros & tertium Dimetrum, excogitari poſſit, manifeſtum eſt Aldinam diſpoſitionem penitus rejiciendam eſſe. Praeterea ipſa ſententia eum ordinem, ut Torrentius obſervavit, aſpernatur. Sed operae pretium erit, quae de interpretatione verborum, *Liparei nitor Hebri .... Eques ipſo melior Bellerophonte*, adnotaſti, adponere. *Quidam*, ais, Nitor Hebri, *inquiunt*, eſt ipſe Hebrus, ut vis Herculis, ſententia Catonis, ſapientia Laelî, hoc eſt Hercules, Cato, Laelius. *At Torrentius & Tan. Faber libere & fidenter dixerunt*, ſine exemplo & vitioſe locutum eſſe Horatium, peſſimam eſſe hanc & corruptiſſimam cacozeliam: nitor Hebri equitis, *non* eques

dictum oportuiſſe. Et recte, inquis, *illi & vere: niſi quod pro illo tenebrione Poëta vapulavit:* de quo tenebrione ſic paullo ſuperius ſcripſiſti; *Exortus eſt ante annos ducentos ſceleratus neſcio quis, qui os ſublevit Aldo Manutio, mentitus* antiquum quendam Codicem Viennae apud Staniſlaum Zaur, verſus ſic (ut ſupra a nobis poſiti ſunt) exhibere.

Atqui Torrentius non dixit Horatium vitioſe eſſe locutum, idque adnotatio ejus ad hunc locum evidenter oſtendit, *Liparei*, inquit, nitor *Hebri pro* Hebrus, *ut paſſim loquuntur Poëtae. Sed hoc loco illud inſolens, quod cum* nitor Hebri *dixerit*, *ſequitur*, Eques ipſo melior Bellerophonte, *non ſecus*, *ac ſi* Hebrus *dixiſſet: qualis ſane locutio exemplo caret. Libri autem Mſſ. ſex poſt dictionem* Hebri *verſum, qui in vulgatis tertius eſt*, *interſerunt*, Simul unctos. *Qui ordo omnino ſervandus eſt*, *non ob ſermonis tantum inſolentiam*, *ſed quia aliter ſententia non conſtat: quod ingenioſus Lector facile percipiet.* Te tamen inſana gloriae cupiditas tam vehementer hic exagitavit, ut non ſolum Torrentii laudes, ne tuis obſtarent, ſilentio obrueris; verum etiam, ut turpiſſimi criminis eum coargueris? Quid enim foedius ei objici potuit, quam illud *pro Tenebrione Poëta vapulavit?* hanc enim ſententiam & in Tan. Fabrum & in Torrentium pronuntiaſti. Atqui tantum abeſt, ut Torrentius illius criminis reus ſit, ut ordinem a Tenebrione iſto profectum duplici ratione damnarit, quod verba

ejus,

Digitized by Google

ejus, quae modo adduxi, apertiſſime demonſtrant. Et ut appareat, te hoc loco nihil dixiſſe, quod ab illo prius dictum non fuerit, verba tua ponam.

Hoc, inquis, *dicit larvatus Horatius*, *Hebrum* equo, pugno, pede, *ſive campeſtribus exercitiis*, invictum eſſe,

Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis:

id eſt, poſteaquam lavit. *Atqui hoc plane eſt* ἄνω ποταμῶν. *Nam primum exercebant ſe in Campo Martio*, *& tum poſtea in Tiberi lavabantur.* Hoc ipſum de exercitationum campeſtrium & natationis ordine in Notis habet Cl. Dacerius; & illud verbis Torrentii ſignificari valde vero ſimile eſt: te itaque, qui, ſi quis alius, is es, ad quem verba Torrentii, *ſed quia aliter ſententia non conſtat: quod ingenioſus Lector facile percipiet*, potiſſimum pertinere cenſenda ſunt, horum verborum ſenſum non percepiſſe quis facile credet?

Deinde, *quanto igitur melius*, inquis, *verus Horatius*, *qui Neobulen perculſam eſſe dicit* Hebri nitore, *ſimul ac ille equitatione*, *pugilatu*, *& curſu laſſus in Tiberi ſe abluit & inde domum rediens ſe ab exercitio rubentem & roſeum puellis viſendum praebuit. Quare aut valde fallor*, *aut genuinus demum verſuum ordo*, *quem libri omnes uno conſenſu tuentur*, *editoribus Flacci in poſterum placebit.* Jam patefacta eſt cauſa, quae te, ut Notam Torrentii ſilentio praeterires impulit. Nam ſi verba ejus adſcripſiſſes, illa verba; *Quare aut valde fallor*, & quae ſequuntur,

tur, cum magno inſitae tibi a natura jactantiae damno debuiſſent omitti: & ut hoc plus quam manifeſtum fiat, verba Torrentii iterum ſubjiciam; & una breviſſimam eorum enarrationem adjungam. *Libri autem Mſſ. ſex poſt dictionem* Hebri *verſum, qui in vulgatis tertius eſt, interſerunt,* Simul unctos. *Qui ordo omnino ſervandus eſt, non ob ſermonis tantum inſolentiam, ſed quia aliter ſententia non conſtat.* Quorum verborum ſententia haec eſt, vulgatus ordo, qui ab Aldo manavit, rejiciendus eſt, tum quia haec locutio nitor Hebri eques eſt inſolens, tum quia ſententia non conſtat, id eſt quia hic ordo verborum cum ordine rerum, ſcilicet exercitiorum campeſtrium & natationis non conſentit. Notiſſimum enim eſt, quod hic & ad C. Lib. I. VIII. v. 8. adnotat Porphyrio. *Qui in Campo*, inquit, *Martio exercebantur, etiam natabant poſt exercitium.* Hoc autem, quod ſupplevi, videtur illud ipſum eſſe, quod his verbis, *ingenioſus Lector facile percipiet*, denotatur. Contra: *Veterum*, inquit, *codicum ordo ſervandus eſt, quippe qui inſolenti locutione non contaminatur, & rerum ordinem ordo verborum obſervat.* Hanc autem eſſe Torrentii mentem oſtendere videtur, quod adnotavit ad Carm. Lib. I. 8. v. 8. ubi Vegetii locum, quem tu hic adtuliſti, adduxit; Veget. Lib. I. Cap. 10. *Romani veteres Campum Martium vicinum Tiberi delegerunt; in quo juventus poſt exercitium armorum ſudorem pulveremque dilueret, ac laſſitudinem curſus natandi labo-*

Digitized by Google

labore deponeret. Praeterea Cruquius verſuum ordinem, quod tu quoque refers, revocavit, quamquam idem eum non optime videtur defendiſſe. Ex quibus perſpicuum eſt, verba Torrentii a te laudari oportuiſſe, & illuſtrari, & id unum adjici, te mirari, quod ne ullus unus ex Editoribus eum ſecutus eſt. Illud hic admonendum, hujus loci conſtructionem in Notis noſtris accurate perpendi. Nunc ad alia, quae ad hoc carmen ſcripſiſti, pergam. Ad verbum *Bellerophonte* ſic ſcribis, *Ultima in* Bellerophonte *ſyllaba producta eſt, quod huic rectus caſus eſt Bellerophontes.* Paullo melius ſic ſcripſiſſes, *quod in recto caſu non ſolum Bellerophon, ut apud Horatium Caſto Bellerophonti, verum etiam Bellerophontes recte dicitur*, ut apud eundem Carm. IV. XI. v. 28.

Pegaſus, terrenum equitem gravatus
Bellerophonten.

ubi omnes fere ſcripti & impreſſi habent *Bellerophontem:* Tu vero poſt Tan. Fabrum in contextum *Bellerophonten* recte recepiſti. Adde quod Aſcenſius & Cruquius monuerunt *Bellerophonte* hic eſſe a recto *Bellerophontes.*

Deinde ad verba *Catus --- Jaculari, & celer excipere* ſic ſcribis: *Vir inſigni doctrina potius vice verſa Noſtrum ſcripſiſſe, autumat;* Celer idem per apertum, -- Catus alto latitantem : *nam celeritatis eſt*, inquit, *fugientes cervos jaculo conſequi: Cati hominis eſt* excipere aprum latitantem. Tu vero quamquam de hoc invento ſic ſcribis, *atque hoc quidem valde ſpe-*

 cioſum

cioſum eſſe fateor, *& prima fronte mire adblandiri*, tamen hoc ſubjicis. *Sed videamus quid ſit* excipere aprum. Ad aprum autem excipiendum ex Curtio, Seneca, Quinctiliano, & Spartiano celeritate manus & viribus opus eſſe oſtendis. *Quare placet*, inquis, *quod in codicibus habetur*, celer excipere. Quid, nonne quid eſſet *aprum excipere* ex Fabri Theſauro in verbo *excipere* facile diſci potuit? Nonne in illius Theſauri edit. A. 1696. duo loca, quae tu e Seneca, & locus quem e Spartiano profers, reperiuntur? Praeterea Baxterus ad verbum *celer* ſic notat: celer *modo de oculis & manibus*. Paſſeratius ad Propert. II. 19. v. 22.

Aut celer agreſtes comminus ire ſues.

celeritate, inquit, *opus eſt*, *& agili motu corporis in aprorum venatione*, *unde Horat. Oda* 12. *lib.* 3. celer alto. Deinde, *neque minus*, ais, *arridet alterum*, Catus jaculari, *non* celer. *Quippe jam antea proximis verbis a* celeritate *ſatis Hebrum laudaverat*, neque ſegni pede victus. *Ergo novam hic laudem memorat.* Catus jaculari fugientes, *quod & virtutem & artem notat.* Immo his verbis *celer jaculari* nova laude Hebrus ornatur, iis enim *celeritas* manus laudatur, ut apud Virgilium Aen. IX. v. 178. Niſus dicitur *Jaculo celer levibuſque ſagittis.* Illis autem verbis, *neque ſegni pede victus*, a pedum celeritate quae diverſa laus eſt, Hebrus laudatur. Jam ſi Vir ille inſigni doctrina verbis *celer jaculari* a pedum celeritate Hebrum laudari putavit, (quod rationes, qui-

quibus ejus emendationem refellis, ſentire te plane indicant, inconſulto ſic ſcripſiſti, *Atque hoc quidem ſpecioſum eſſe fateor, & prima fronte mire adblandiri*; quoniam hujus artis mediocriter perito quin vel prima fronte eà emendatio inepta videatur, non dubitem. Quamquam autem receptam verborum *catus*, *celer* ſedem a te non male defenſam arbitremur, tu tamen eam non minus bene ſic defendi poſſe forſitan judicabis. Igitur dico *catus* . . . *jaculari*, idcirco retinendum, quod etſi *celer jaculari* bene dicitur, tamen *catus*, id eſt, doctus, ad ſententiam aptius videtur, quam *celer*, quoniam ad cervos conſequendos plus valet jaculandi peritia, quam celeritas manus: & bene Noſter Carm. Lib. I. 29. v. 9.

Doctus *ſagittas* tendere Sericas.

Jam *celer excipere aprum* idcirco probandum eſt, quod oculorum, & manuum celeritas ac totius fere corporis volubilis motus ad aprum excipiendum plus valet quam venabulo utendi peritia, quod, etſi venator ea peritia excellat, niſi tamen celeri corporis motu valeat, veroſimilius eſt futurum, ut eum citius aper dentibus laniet, quam ut is aprum venabulo aut tranſverberet aut excipiat.

Poſtremo ad verba *alto fruticeto* ſic ſcribis: *verior eſt* lectio *arto*, *quam meliores codices ſubminiſtrant*; & ita Cruquius arto, inquit, *pro denſo*, *quod fortaſſis eſt aptius*. Illud autem *alto* non Librario vitio dandum ſed Interpolatori vim verbi *arto* non intelligenti.

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

Lambini & Torrentii negligentiam & imperitiam in Poëmatis Horatii recenſendis admirabilem videri.

Quod capite proxime praecedente de Lambini & Torrentii tum negligentia tum inſcitia dixi, id a me veriſſime dictum eſſe, quae hic ſubjiciam, abunde comprobabunt. Et utriuſque quidem negligentiam, illud manifeſte coarguit; quod eorum neuter libris ante annum 1500. impreſſis uſus eſt, quamquam plurimi, cum illi viverent, extarent, & omnes fere e Mſſtis deprompti: quique Lambini & Torrentii temporibus facilius, quam noſtris, reperiebantur; tum quod eorum neuter notiſſimas editiones, velut Aſcenſii, Britannici, Rob. Stephani, Vaſcoſani, Fabricii A. 1555. Mureti & Bruti, ut aliorum omittam, conſuluit; quas omnes editiones ad Horatium emendate evulgandum haud parum prodeſſe neuter eorum ignorare potuit. Illud ſane Torrentii negligentiam in graviſſimam reprehenſionem incurrere oſtendit, quod lectiones, quas Cruquius e multis iiſque optimis codicibus collegit, nuſquam fere laudavit, quamquam ſexies vel ſepties Cruquii mentionem fecerit. Jam ad utriuſque imperitiam redarguendam venio, a Torrentio autem, quia is Lambino

bino in hac arte multo fuit imperitior, incipiam. Et ut Viro alioqui eruditiſſimo hanc accuſationem a nobis juſtiſſime inferri Lector aequus exiſtimet, duos e Commentariis ejus locos huc pertinentes adponam; deinde e magna exemplorum, quibus accuſatio ſuffulta eſt, multitudine, nonnulla adferam. Primus autem locus eſt e Carm. Lib. III. XX. v. 15.

Qualis aut Nireus *fuit, aut aquoſa*

Ubi Torrentius, *mirum*, ait, *quod Nereus* habent Libb. Mſſ. omnes, ut Epod. XV. v. 22. *Formaque vincas* Nerea.

Secundus locus eſt e Carm. III. XXX. v. 12. *Regnavit populorum.* Ubi idem, *Libb.* inquit, *Mſſ. omnes, quos videre contigit*, Regnator *habent. Tantum potuit Grammaticorum audacia.* Et quiſquamne Torrentio adeo faveat, ut vel ex his duobus locis eum non didiciſſe quantum auctoritati veterum codicum tribuendum ſit, admiretur? De qua re cum nonnulla in his Animadverſionibus ſupra dixerim, ad exempla, quibus Torrentii imperitia evidentiſſime deprehenditur, tranſeo.

Carm. Lib. I. XXVIII. v. 15.

. . . . . . *ſed omneis una manet* nox,

Mallem, inquit, mors, *ut in tribus exemplaribus ſcriptum deprehendi.* Atqui verbum *mors* e Gloſſemate in contextum irrepſiſſe plus quam manifeſtum eſt.

v. 31. *Poſtmodo te natis fraudem committere* forſan.

. . . . *Nec ignoro quidem* forſit *pro* forſitan *ab antiquis dictum fuiſſe, idque & veteres anno-*

annotaſſe Grammaticos, *& reperiri apud Horatium Lib. I. Serm. VI. Receptam tamen hoc loco lectionem ſervo.* Atqui *fors*, *&* omnino legendum; nam *forſan* eſſe enarratoris qui vel leviter hiſce ſtudiis tinctus eſt, facile percipiet. Quod autem ad *forſit* attinet, ideo illud hic improbandum eſt, quod particula *&* poſita ante verba *debita jura* ſententiae acrimoniam auget, quam particulam tanquam non neceſſariam Interpolator ſuſtulit, & pro *fors*, *&* in contextum *forſit*, quod in Serm. Lib. I. VI. v. 48. legitur, induxit.

Carm. II. XX. v. 3.

Vates: neque in terris *morabor*

Ubi, *Plures*, inquit, *codices in* terra: neque animadvertit *terris* mutatum in *terra*, quod Interpolatores unitatis numero, non multitudinis, hoc nomen efferre conſueverunt.

Lib. III. II. v. 18.

Intaminatis *fulget honoribus*:

Intaminatis, inquit, *ſic libri veteres*, *ideoque nihil immutandum eſt*. *Quamquam alibi hoc vocabulum me legiſſe non memini.* Verum in uno codice *incontaminatis* reperit Lambinus, ſed de ejus fide Torrentius videtur dubitaſſe. Quae dubitatio & inſcitiam ejus & iniquitatem adverſus Lambinum oſtendit. Nam Giſanius Indice Lucret. in voce Hypermetri. *In vetere libro*, ait, incontaminatis *reperi*, *vulgo* intaminatis, *quod Latinum fortaſſe non eſt*, *ex eoque manavit*, *quod haec abſumendi primam ſyllabam ratio non ſit omnibus nota.* Recte. Tu

vero

Digitized by Google

vero V. Cl. ſic ſcribis ; *eligat Lector peritus, utrum velit* ; *ſive* INTAMINATIS , *ſive* INCONTAMINATIS *honoribus* ; *me quidem volente utrumvis legerit : ita tamen ut ad poſteriorem lectionem magis inclinet animus.* Inſcite. Maxime , cum Giſanius , quem hic laudas , cauſam peccandi attulerit.

V. v 15. *Foedis , & exemplo* trahentis

Ubi , *Primus* , ait , *Canterus* trahenti *legendum eſſe cenſuit. Ego vero nihil immuto. Eodem enim ſenſu dictio* trahentis *ad Regulum referri poterit* , *diſſentientem de Captivorum permutatione.* Lubet tuam quoque ad hunc locum adnotationem adſcribere . . . . . *Minime itaque ſua laude fraudandus eſt Canterus. Sed* , *cum mihi viſum eſſet omnes ubique codices* Trahentis *exhibere* , *neque quicquam in Canteriana lectione difficultatis apparet* , *quod Librarios poſſet offendere* , *ſi eam in ſuis codicibus umquam reperiſſent* : *ſubiit animam latuiſſe forte hic olim elegantis aliquid & reconditae conſtructionis* , *quod non intellectum in fraudem eos injecerit. Et e veſtigio ſuſpicionem noſtram res ipſa confirmavit* ; *ſic enim ſcripſerat Horatius* ,

Diſſentientis conditionibus

Foedis , *&* EXEMPLI TRAHENTIS.

hoc eſt , inquis , *conditionibus* , *quae foedae erant & pernicioſi exempli. Ita ſolebant hanc vocem genitivo caſu proferre : quam ſtructuram cum ignorarent Librarii locum contaminarunt.* Quid? tu Vir diligentiſſime (nam Torrentio facile ignoſco) non animadvertiſti in optimis Cruquiani

Digitized by Google

quiani Commentatoris codicibus *trahenti* extitiſſe? Is enim ſic adnotat. Trahenti, *adferenti in futurum perniciem Reipublicae*; quae verba veteris Commentatoris Baxterum non fugerunt. Qui plura de hac lectione cupiet, Notas noſtras, ſi tanti eſt, conſulet.

XVI. v. 15. *Contemtae dominus ſplendidior rei.*

Contentae, ait, *legunt Acron & Porphyrion, quod Lambinus damnat, nec ſatis verecunde. Ego* contemtae *ſic retineo, ut* contentae tamen damnare non auſim. Sed neque Acronem neque Porphyrionem *contentae* legiſſe res ipſa clamat; cum eam non modo rerum ſeries ſed & Latini ſermonis, ut Viri docti jamdudum docuerunt, uſus improbet.

XXV. v. 17. *Nil parvum, aut humili modo.*

Libri optimi quinque, inquit, humili *habent; quod non magis debebat Grammaticos offendere, quam quod Oda praecedente dixit*, ſi figit adamantinos, *& plura alia ſimilia.* Verum Vir doctus non animadvertit illud *humile* Correctoris eſſe putantis, quia *nil parvum* praeceſſit, & *nil mortale* ſequitur, orationis contextui convenire *humile* non *humili*. Mens Poëtae haec eſt. Pollicetur ſe nihil niſi grave & ſublime dicturum, & hoc ipſum ſublime non humili ſed ſublimi modo dicturum, & hoc addi oportuit, quia non inſolens eſt res graves orationis tenuitate dehoneſtari.

Serm. Lib. I. III. v. 140. *Peccavero. Libri*, ait, *Mſſti quinque* peccabo. *Placet. Non temere enim* O *corripitur in iſtiuſmodi verbis a* Poë-

Digitized by Google

Poëtis, qui Virgilii aetate floruerunt, ut Sat. ſequente.

Liberius ſi

Dixero *quid*,

Tu quoque V. Cl. ad verbum *peccavero* idem ſcribis Torrentio non laudato; *Perperam*, ais, *neque enim O finale in verbis temere invenies correptum, apud ejus aevi Scriptores*; deinde addis, *& adhuc durius eſt, ubi ſequens vocabulum a duabus mutis conſonantibus inchoatur. Melius itaque Leidenſis noſter, Reginenſis & alii*, peccaro. Vir doctus apud Lambinum legit *peccaro*, *propter vocem ſequentem* ſtultus *initium capientem* a duabus conſonantibus, quae verba, unde mutuatus es, quod addidiſti, demonſtrant. Nunc cur legendum ſit *peccaro* non *peccabo*, *peccavero*, obſervationes Criticae docent; & *peccabo* quidem quin Interpolatoris ſit, dubitandum non eſt, verbum contractum ut inſolens in tritius mutantis; illud enim conſtat, nuſquam Interpolatores verba vulgaria in reconditiora mutaſſe: *peccavero* autem ex Gloſſa in contextum videtur irrepſiſſe: ſoliti enim ſunt Interpretes in Notis ad verbum contractum verbum plenum adjicere, ut Serm. I. 9. ad verbum *ſummoſſes* adnotat vetus Commentator *ſummoviſſes*. Et ita in ſimilibus crebro: Neque quidquam valet illa docti Viri apud Lambinum ratio, *poſtremam ſyllabam* verbi *peccavero* propter duas conſonantes in *ſtultus* productam eſſe: nam Lambinus hoc ab Horatio ſtudioſe non vitari duobus exemplis oſtendit.

Digitized by Google

tendit. Cur autem imminutum *peccaro* non integrum *peccavero* legendum ſit, te V. Cl. docere non gravabor. Inter locos, quibus evincitur Horatio curae fuiſſe numeros, eſt & hic: nam in Hexametro verſu Spondaeus potius quam Dactylus in quarta ſede poni vult, & hic in primis, quia, rei, de qua agitur, Spondaeus pes triſtior, magis convenit. Sed de hoc plenius in Notis noſtris ad Horatium.

IX. v. 47. *Hunc hominem* velles ſi *tradere: deſperream, ni*

Rem magnam, inquit, *ſe praeſtitiſſe Lambinus putat, quod verba iſta hoc ordine ſcripſerit, cum impreſſi habeant* Si velles tradere. *At noſtri Mſſti variant, & ſine caeſura ſcripſiſſe crediderim Horatium, ſi uſquam alibi, in hoc Sermone, qui totus Dramaticus eſt, ſimpliciſſime loquentem.* Immo & in hoc Sermone caeſurae gratiam quaeſiviſſe Horatium demonſtrat verſus proxime praecedens,

Magnum adjutorem, poſſet qui *ferre ſecundas*,

& omnino obſervandum ſolere Correctores verborum ordinem, qui naturae contrarius eſt, in naturalem vertere. Illud unum a Torrentio hic ad Lambini jactantiam reprimendam adnotari convenerat, in vetuſtiſſimis quibuſcunque impreſſis, & in Aſcenſianis editionibus, aliiſque nonnullis *velles ſi tradere*, inveniri.

Lib. II. II. v. 95. *Occupat. Meliores*, ait, *libri* occupet. *Placet cum interrogationis nota poſt dictionem* humanam. Atqui *occupet* Poëtae ſententiae

Digitized by Google

tentiae adverſatur, quamquam tu doctiſſime R. B. illud in contextum recepiſti; poſtea vero ſapientior factus in Praefatione *occupet* damnaſti. Vide ſupra Animadverſ. pag. 14.

III. v. 72. *Cum rapies in jus.*

Quotquot vidi, inquit, *codices receptam hactenus lectionem* cum rapies in jura *firmant*; *&* *cur*, *obſecro*, *ſuis ſedibus emovenda!* Nec quemquam moveat, *quod* rapere in jura *dixit Horatius:* nam & alibi ſic loquitur,

Jura *neget ſibi nata*

Debita jura, *viceſque ſuperbae*

Item Virgil.

Remo cum fratre Quirinus

Jura *dabunt*

Jura *magiſtratuſque legunt*

Fas & jura *ſinunt*

Denique Juvenal. Sat. XV.

pupillum ad jura *vocantem*;

Circumſcriptorem,

Quem ego locum de Foris, *quae Romae erant plura*, *intellexerim ut hunc. Nam* jus *locum quoque ipſum ſignificat.* contra Lambinus;

In jus malis, inquit, *ſic legendum eſt. Sumtum autem eſt*, *& fere expreſſum ex illo Homeri verſu* ὀδ. υ. Οἱ δ' ἤδη γναθμοῖσι γελοίων ἀλλοτρίοισιν. *id eſt*, *illi autem malis jam ridebant alienis. Jam vero malis alienis ridere*, *eſt id*, *quod dixit Oda II. Lib.* 3. vultu invito, *ſeu potius*, *non ex animo*, *quo modo rident qui laetitiam ſimulant. Vultum enim componunt illi quidem ad riſum*, *& riſus veſtigia in vultu praebent*, *ſed ita ut facile*

appareat, *riſum eſſe quaſi alienis maxillis confictum & conformatum. . . . . Hujus autem loci reſtitutio*, *nequid*, inquit, *diſſimulem*, *Simeoni Boſio debetur. Ille enim Auratum admonuit per litteras*, *ita ſe reperiſſe ſcriptum in optimo & antiquiſſimo codice*, *eademque opera*, *ſe animadvertiſſe ſumtum eſſe ab Homero : quod ſubindicat & Porphyrio*: hujus verba a Lambino omiſſa adſcribam;

Cum rapies in jura malis ridentem alienis.

Graecus eſt: Quod ſignificat ſi in jus rapere coeperis, *non ex animo ridebit.* Qui locus ex Commentatore Cruquiano ſic legendus eſt. *Graecus eſt* ſermo, qui *ſignificat*.

Canterus quoque Var. Lect. Lib. II. Cap. 16. monet *illis verbis* ex animo ridebit *ſubjungi haec*; *hoc eſt* alienis malis, *id eſt*, *maxillis*. Praeterea Blandinii codices quatuor, qui omnium ſunt fideliſſimi, habent *in jus*. Atque hinc conſtat hujus loci ſcripturam non ad Torrentianorum codicum fidem exigi oportere; quare in hac varietate lectionis, ea, quam ars emendandi, & loci ſententia comprobant, omnino praeferenda eſt. Jam quod ad loci ſententiam attinet, expoſitionem verborum *alienis malis ridentem* a Porphyrione, aliiſque adlatam recte confutavit Xylander. *Cur adeo*, inquit, *riſum ſimulare? an certus artium ſuarum & elapſurum ſe confidens*, *non ex animo potius ridebit eos*, *quos fruſtraturum ſe novit*, *& hiantis inſtar corvi deluſurum.* Et deinde quibuſdam interjectis; *Quid autem aliud*, inquit, *iſtud*

Digitized by Google

iſtud genus hominum faciunt, quam quod vel palam, qua ſunt protervitate, vel in ſinu & apud ſe rident, quaſi re bene geſta: quando & damno adfecerunt, & moleſtiis gravarunt iſtos lucripetas. Jura *autem ſi non placet* ἑτέρωσις *numeri, proprie accipies. Nam plures actiones in talem Proteum intendi poſſunt cum non unum ille decipiendi modum uſurpaverit.* Quibus argumentis Xylander adductus, *in jura malis*, non *in jus* legi debere cenſuit. Sed vir eruditiſſimus non animadvertit verbis *alienis malis*, id eſt maxillis *ridere*, riſum effuſiſſimum non coactum denotari, quod Dacerius, quem vide, primus acute monuit. Neque vero inficiamur iis verbis riſum quoque ſimulatum ſignificari ut in illo Val. Flacci Lib. VIII. v. 164. quem adduxit Turnebus Adverſ. L. 23. c. 5.

Erranteſque genae, atque alieno gaudia vultu.

Illud tantum adfirmamus, hanc interpretationem Horatii menti non convenire. Adde, quod *alienis malis*, id eſt incommodis, damnis ridere, praepoſitione *DE* non addita, parum Latine dicitur. Nunc quid Ars Critica nos doceat, oſtendendum eſt; & ea quidem monſtrat illud *jura* eſſe Correctoris; is enim, quod ignorabat *malis* hic pro *maxillis* accipi, vocem *jus* mutavit in *jura* ne verſus contra prioris ſyllabae in *malis*, id eſt, damnis, dimenſionem peccaret. Quamquam autem haec, quae ſcripſimus, tum ad lectionem *in jus*, quam tu quoque V. Cl. in contextum recepiſti, tuendam, tum ad *in jura* evertendam pertinere videantur, nihil

Digitized by Google

hil tamen a te ad hunc locum adnotatum reperi.

Epiſt. Lib. I. I. v. 32.

Eſt quodam *prodire* tenus, *ſi non datur ultra.*

Eſt quodam *ſic antiqui*, ait Torrentius, *habent libri omnes, quod cur Lambino diſpliceat, ignoro*. Atqui Commentator Cruquianus habet *quadam*. Antiquiſſimus quoque Cruquii codex cum Buſlidiano habet *quadam*, & omnino laudandus eſt Lambinus, quod ex ſcriptura *eſt quodam* fecerit *eſt quadam*: quoniam etiamſi omnes omnino codices haberent *eſt quodam*, tamen *quadam* ab Interpolatore in *quodam* mutatum ratio Critica demonſtrat. Is enim, quod putabat *quadam* ad *prodire* referri, & quod ignorabat ſubintelligi verbum *fine* locum depravavit. *Fine* autem ſubintelligi Feſtus docet in voce *quatenus*; Quatenus, inquit, *ſignificat qua fine*; ut *hactenus*, *hac fine*; & eodem modo dicimus *eatenus*, *aliquatenus*. Neque huic lectioni adverſatur locus ille Val. Flacci Lib. VII. vv. 433. 434.

Nec quibus incipiens demens videt, ordine nec quo;
Quove tenus.

Quove tenus habent editiones Carrionis, Alardi, & Nic. Heinſii, quomodo legatur in libris ſcriptis & aliorum editionibus, ignoro: verum omnino legendum *quave tenus* locus, quem ex Feſto adduxi, evincit: *quove* autem propter ignorationem verbi *fine* ſubintellecti, & propter *quo*, quod praeceſſit, in locum *quave* ſubſtitutum eſt.

XVII. v. 21. Vilia rerum, *Lambini ſcripturam*

Digitized by Google

turam nullo, inquit Torrentius, *unquam in Chirographo reperi: ut de ipſius fide cogar iterum dubitare. Legendum ergo*,

Tu poſcis vilia, verum
Dante minor.

Lambini fidem adſtruunt duo codices Cruquii: & errore ſollemni, nempe conſtructionis ignorantia *rerum* in *verum* imperitus Grammaticus mutavit: hujus autem conſtructionis nonnulla exempla Lambinus ad hunc verſum, & ad Carm. Lib. IV. 12. v. 19. ex ipſo Horatio protulit.

Epiſt. Lib. II. II. v v. 205. 206.

Non es avarus: abi. Quid? cetera jam ſimul iſto
Cum vitio fugere? *caret tibi pectus inani.*

Mira, inquit, *lectionum hic varietas. Sed Lambini editio placet, non tamen abſque ſcrupulo: conſtanter enim poſt dictionem* quid *interrogationis nota apponitur*, *& in antiquiſſimis quibuſque libris ita ſcribitur*,

- - - abi. quid? cetera jam ſimul iſto
Cum vitio fuge. *rite tibi caret pectus inani.*

neque hercule inconcinne. Quod Torrentius vocem *rite* parum concinne addi verbis *caret pectus ambitione* non viderit, magnopere admiror: quod idem non viderit. *fuge. rite.* inſcitiſſimi eſſe Correctoris, putantis verbum *fugere* hic in infinito modo poni nequaquam admiror: cum errorum cauſas fere nuſquam inveſtigarit ac comprehenderit. Ex quibus omnibus peccatis, ut de aliis, quae plurima ſunt, taceam, Torrentii in Horatio recenſendo inſcitiam admirabilem videri veriſſime pronun-

 tiatum,

Digitized by Google

tiatum, evidenter apparet. Praeterea illud Torrentii imperitiam aggravare videtur, quod ne una quidem emendatio, quae laude digna ſit, in ejus Notis invenitur; neque vero me fugit, quod tu V. Cl. adnotaſti ad Carm. Lib. II. XI. vv. 23. 24.

Maturet, incomtum lacaenae
More comam religata nodo.

Totus, inquis, *hic locus auctore Torrentio ſic conſtituendus eſt.*

Eburna dic age cum lyra
Maturet: incomtam *Lacaenae*
More comam religata nodo.

Quid? neſciebas V. Cl. *incomptam nodo* extare in duabus editionibus Xylandri? qui ad hos verſus ſic ſcribit; *lectio haec eſt codicis Veneti plana, & (ut puto) genuina.* Codicem autem Venetum, quem ille non nominat, eum eſſe arbitror qui Venetiis impreſſus eſt A. 1549. in quo ſolo hanc lectionem reperi, quamquam editiones Venetas haud paucas ſuper hujus loci lectione conſuluerim. Nunc Torrentii Notam ad hos verſus ſubjiciam. Maturet incomtum *ſic plures*, inquit, *& meliores: unus tantum* in comtum, *& alter* in comtam. *Idem enim dicit, quod Lib. III. XIV. vv.* 21. 22.

Dic & argutae properet Neaerae,
Myrrheum nodo cohibere crinem:

Sed verba, ut dixi, perturbata ſunt, adeo ut mendum ſubeſſe ſuſpicer. Nam ſi incomtam *&* nodo *legerimus, nihil planius aut* apertius. *Retenta tamen communi ſcriptura veteres ſequor Interpretes;*

terpretes; *ut* maturet, *hoc eſt*, *properet* Lyde religata comam in nodum Lacaenae more comtum. *Addam poſtremo*, inquit, *Porphyrionem legere* religare *pro* religata, *nec diſplicet*. Duo hic animadvertenda, unum, quod inſcite putavit Porphyrionem legere *religare*, quis enim credat eum Grammaticum verbi *maturet* poteſtatem, hoc eſt *maturet venire*, ut Aſcenſius, Lambinus, aliique interpretati ſunt, non intellexiſſe, cum Horatius jubeat ut Lyde veniat & propere veniat: & idcirco dicendum *religare* pro *religata* Correctorem repoſuiſſe, quod id verbi a verbo *maturet* pendere exiſtimavit. Alterum hic animadvertendum eſt hoc, quod Torrentius lectioni *incomtam nodo* non adhaeſerit, quamquam ea non ſolum plana & facilis ſit, ſed & certiſſima obſervatione comprobetur. Quoniam vero tu V. Cl. nihil, quod artem redoleret, ad hanc emendationem tuendam adtuliſti, *incomtam nodo* ex arte legendum eſſe oſtendere conabor. Torrentius in uno libro *in comtam* duabus vocibus legi monuit, quae lectio & Librarii negligentiae, & inſcitiae Interpolatoris adſcribi poteſt; ſcriptum enim fuit una voce *incomtam*, quam in duas diviſit Librarius errore ſollemni. Interpolator autem, cum putaret Lyden coma non compta indecenter prodire *incomtam* mutavit in *in comtum*, & poſtea *nodo* in *nodum*: jam cum hac obſervatione mirifice conſentit loci ſententia. Nam, ut alii monuerunt, cum Poëta juſſerit ut Lyce mature veniret, noluit vel minimum tem-

pus comendis capillis abſumi. Quod autem ad lectionem *incomptum* attinet, ea adeo eſt abſurda, ut ei convellendae immorandum non ſit. Ex quibus peccatis, ut de aliis, quae plurima ſunt, taceam, quid de Torrentii imperitia ſentiendum ſit, quivis nullo labore judicare poterit.

Nunc ad Lambini imperitiam oſtendendam venio.

Carm. Lib. I. XVII. v. 5.

Impune tutum *per nemus arbutos.*

Quidam libri veteres, inquit, *habent*, *Impune* totum *per nemus.* Mirum ſane quod Lambinus *tutum* in contextum receperit, nihilque de altera lectione, quae proba eſt, in Commentariis dixerit: tu quidem V. Cl. ad hunc locum ſic ſcribis: *Enimvero indignandum eſt tot magnis Interpretibus* impune tutum *placere potuiſſe. Certe* impune tutum *conſiſtere una nequeunt.* Atqui Marcilio *impune tutum* non placuit: *Melius*, inquit, *in aliis* totum. *Nam* tutum *dixit* impune.

XXXV. v. 39. *Incude* diffingas retuſum

Hic locus, inquit, *in omnibus libris corruptus, ſic reſtituendus eſt*; deſtringas recuſum. *Vulgata enim lectio* diffingas *plane corrupta eſt.* Deinde addit; *in codice Ful. Urſini ſcriptum fuiſſe* defigas. Quid, quaeſo, facilius, quam pro *diffingas defingas* legere; haec enim confundi ſolent, ſicut *differre*, *deferre* & ſimilia? *Deſtringas* autem ratio Critica omnino reſpuit. Deinde in eodem verſu pro *retuſum*, *recuſum* repo-

Digitized by Google

repoſuit: quae emendatio a verbo *incude* manavit; & ob hoc ipſum improbanda. Neque me movet, quod in uno Cruquii & vetere Scholiaſta *recuſum* reperitur. Nam, ut omittam, quod proclive fuit Librario, in literis *C* & *T* propter earum ſimilitudinem labi, *recuſum* in locum vocis *retuſum* ſubſtituit; Correctōr, quia, ut modo dixi, vox *incude* praeceſſit. Sed tua Vir Cl. emendatio adponenda eſt. *Mihi in mentem*, inquis, *incidit conjectura, quam ſane veram exiſtimo*,

Incude defingas recoctum *in*

Et ſane ſic videtur olim legiſſe vetus Scholiaſtes. narrat quippe Cruquius ſe in ſcriptis adnotationibus offendiſſe, confuſum *&* commaſſatum: *quod mendoſe hodie in Acrone legitur* confuſum *&* quaſſatum. *Atqui* commaſſatum *plane explicat* recoctum, *non* retuſum *neque* recuſum. *Martialis XI. 53.*

Et *Velabrenſi* maſſa recocta *foco*

de caſeo Velabrenſi loquitur, de quo vide Epigr. XIII. 26. ferrum autem *recoctum* locis e Virgilio, Perſio, Lucano, Floro & Prudentio adductis bene dici, quod nemo ignorat, oſtendis. *Optat igitur Horatius, ut ferrum quod civili cruore pollutum & commaculatum erat, jam in maſſam redactum, repurgatum, & recoctum nova incude formaretur in tela contra Arabas, & Maſſagetas*, Hanc emendationem, quam tu veram eſſe exiſtimas, ego explodendam eſſe cenſeo. Primo, quia Acronis interpretatio non reſpicit vocem *recoctum* ſed verbum *diffin-*

 gas:

Digitized by Google

gas: ſic enim ſcribit; *diffingas, id eſt confuſum reformes.* *Nam ſicut* fingere formare *dicitur, ſic &* diffingere *eſt* quaſſatum reformare. Secundo, quia haec emendatio verbum inducit ad Poëtae ſententiam minus aptum quam eſt *retuſum*, quod veteres Interpretes habuerunt, quodque in omnibus fere libris extat; verbum enim *retuſum*, id eſt, ut Acron exponit *civilibus bellis hebetatum*, ad iram, qua Flaccus in nefanda bellorum civilium facinora exardebat, exprimendum aliquid valet; *recoctum* nihil valet.

Lib. III. vv. 5. 6.

quo nemus

Inter pulchra ſitum *tecta remugiat*

Quidam, inquit, *libri veteres habent* ſatum *pro* ſitum; *ego tamen nihil muto.* Atqui Corrector *ſatum* in *ſitum*, quia non intellexit quid *nemus inter pulchra tecta ſatum* eſſet, inepte mutavit. Hoc autem, Lambinus, opinor, non ignoravit, magiſque putem eum conſuetudinem Grammaticorum verba minus nota in notiora mutantium, quae obſervatio ad menda tollenda plurimum valet, non habuiſſe percognitam.

XIX. v. 27. *Tempeſtiva petit* Chloë

Quidam libri veteres, inquit, *habent* Rhoda. Ex obſervationis modo memoratae ignorantia *Rhoda* in contextum non recepit.

XXVII. v. 48. *Cornua* tauri

Nonnulli, inquit, *libri habent* cornua monſtri: *quos non ſequor*; *quamquam non damno.* Atqui ſcrip-

Digitized by Google

ſcriptura *tauri* cum ex enarratione in contextum irrepſerit, ut Viri docti admonuerunt, omnino damnanda eſt.

Lib. IV. IV. v. 36.

Dedecorant *bene nata culpae*

Sic habet, inquit, *liber Donati & omnes vulgati. Faërni autem & 2. Vatic.* Indecorant. Sane hoc in contextum Lambinus inducere debuit, & adnotare *Dedecorant* verbi rarioris eſſe interpretationem: idque manifeſte oſtendit Porphyrion: Indecorant, ait, *id eſt*, indecora *faciunt*, *ac per hoc* dedecorant *ſignificat*.

Epod. Lib. II. v. 43.

*Sacrum*que *vetuſtis exſtruat lignis focum*

Legendum potius, inquit, *ſacrum*que, *quam ut vulgo* Sacrum *vetuſtis. Quo poſito, nihil eſt ſupra mutandum in voce*, juvet; *pro quo quidam reponunt* juvans *contra auctoritatem librorum.* At *ſacrumque* in ipſam metri legem peccat.

Serm. Lib. I. I. vv. 54. 55.

Ut tibi ſi ſit opus liquidi non amplius urna
Vel cyathos; & dicas, *magno de flumine* mallem.

Quinque libri, ait, *MSſti habent* malim, *alii ut vulgati* mallem. Addi oportuit *malim* melius eſſe quam *mallem*; & ita citat Mirandula Flor. Illuſtr. Poëtar. & Dolce in Verſione Italica *malim* vertit & ita legerunt veteres Interpretes; Porphyrionis verba ſunt haec; *ſi deſideres urnam aquae vel cyathum & malis eam ex magno flumine haurire:* neque ipſe Lambinus, ut puto, ignoravit rationem temporum poſtulare

Digitized by Google

lare *malim*; hoc enim loquendi genus rectius eſſe qui Latine ſciunt, optime norunt.

II. v. 107. Cantat *& apponit:*

Pro *Cantat* Lambinus legit *captat*, & adnotat; *Hunc locum in omnibus libris, & manuſcriptis, & excuſis depravatum reſtitui, unius litterae immutatione facta, conjectura duntaxat ad veram ſcripturam ductus, a nullis codicibus adjutus. Miror autem tam manifeſtum mendum, vel unquam admiſſum eſſe: vel ſemel admiſſum, tamdiu in codicibus haeſiſſe.* Ego ſane miror Lambinum non vidiſſe, quod Acron ad verſus 105. 106. 107. adnotavit,

leporem venator, ut alta
In nive ſectetur. poſitum ſic tangere nolit;
Cantat, *& adponit:*

Meus *eſt amor huic ſimilis; nam inducit quaſi canticum, inquit Acron, amatoris matronae. Eſt autem canticum hoc: Venator perſequitur leporem, ut capiat, & captum contemnat. Amor meus eſt huic ſimilis, abſentia & difficilia deſiderat, & parata contemnit.* Deinde ad verbum *adponit* hoc habet: *addit ad cantum.* Et ad verſum 108. *Hiſcene verſiculis*, hoc adnotat, *quos cantare amatorem dixit*, quibus *Venatori amorem ſuum comparat*; haec ſubjunxi, ut conſtaret hanc Lambini emendationem eſſe ineptiſſimam. Ceterum de his verſibus vide Joſ. Scaligeri Opuſcula ed. Pariſ. p. 464. D. Heinſii Notas ad hunc locum, & T. Fabri Epiſtol. Lib. I. Epiſt. 68. ubi idem Faber adfirmat, veterem Interpretem horum verſuum ſenſum aſſe-

Digitized by Google

aſſecutum non eſſe. Quod ab eo imprudenter ſcriptum eſſe Nota Acronis oſtendit.

IV. v. 14. Accipe *ſi vis*.

Et v. 15. Accipiam *tabulas*.

Sic autem legendum videtur, Accipiam *tabulas: non, ut habent libri vulgati*, accipe jam *tabulas*. At *Accipe jam* tabulas legendum eſſe recte monuit Landinus: *Ex congeminatione enim*, inquit, *oſtendit impudentiam*.

v. 105. . . . . inſevit *pater optimus hoc* mî

Hunc locum, ait, *in omnibus exemplaribus corruptum, detractione unius litterae in verbo* inſuevit, *&* *mutatione* e, *in* i, *in provocabulo* me, reſtitui. At Aſcenſius, inſuevit, inquit, *id eſt* inſtituit *&* aſſueſcere fecit; *& eſt melius quam ſi legas* inſevit. Unde apparet hanc emendationem Lambino ex parte tantum deberi, & eam quidem totam Latini ſermonis ignorantiae deberi Torrentius & alii oſtenderunt.

V. v. 72. *Paene arſit macros*

Sic hunc locum, inquit, *reſtitui unum codicem antiquum ſecutus. Nam in aliis omnibus praepoſtero ordine ſcriptum eſt*, Paene macros arſit. *Quam ſcripturam quamvis non damnem, alteram tamen magis probo*. De hac emendatione vide ſupra Animadverſ. p. 295.

VI. v. 111. Millibus *atque* aliis *vivo*.

Omnia, inquit, *exempla hic ſunt mendoſa, in quibus haec ineſt ſcriptura* Millibus atque aliis: *cum legendum ſit*, Multis atque aliis. Atqui cum Horatius v. 110. dixerit,

Hoc ego commodius, quam tu, praeclare Senator,

cur,

cur, quod ſubjicit, millibus *atque aliis vivo* male dici putemus, non video, neque alius, opinor, ullus.

Lib. II. I. v. 69.

. . . . . *populumque* tributum ;

Sic eſſe legendum, inquit, *pervincunt plerique codices manuſcripti*; *in aliis eſt* tributim: *quae ſcriptura tamen ferri poteſt*. At altera *tributum* neque ferri poteſt, neque refelli digna eſt.

III. v. 89. *Hoc Staberi prudentem animum* vidiſſe.

Juſſiſſe, inquit, *legendum eſt*, *aut* voluiſſe: *non* vidiſſe, *ut vulgo ſcriptum eſt*. Plus vidit, ait, multum vidit, *pro hoc valde intelligens fuit:* prudens vidit *autem*, *nunquam dicunt Latini*, *quod ſciam: voluiſſe* certe hic locum habere non poteſt; quia nulla res *voluiſſe* hic poni ſuadebat, cum *volui* in verſu proxime praecedente dixerit: neque cauſa eſt cur legamus *juſſiſſe*; quoniam *vidiſſe* hic valet *providiſſe*. Terent. Andr. II. 2. 36. *niſi vides*. Ubi Donatus *vides*. provides. & Phorm. I. 3. 12. *Recte ego mihi vidiſſem*. Ubi Donatus *vidiſſem*. providiſſem. *Prudentem* autem lepide addidit Horatius, nimirum ad augendam Ironiae acrimoniam. Quod ſi quid hic mutandum ſit, malim *caviſſe*; ut *vidiſſe* ex enarratione in contextum irrepſiſſe videatur. Carm. Lib. III. V. v. 13.

Hoc caverat *mens provida Reguli*.

Adde quod *caveo* in teſtamentis uſitatiſſimum eſt, vide Briſſonium in verbo *caveo*.

Epiſt.

Digitized by Google

Epiſt. Lib. I. I. v. 57.

Eſt animus tibi, ſunt mores, & lingua fideſque:

Quidam, inquit, *liber vetus habet* ſunt mores, eſt lingua, fideſque. Nonne *eſt* in contextum induci oportuerat? nonne in Notis verbum ſubſtantivum eleganter iteratum adnotari debuit? Illud autem *ET* ex interpretatione in contextum irrepſit: ſolebant enim Interpretes ubi particula conjunctiva deeſſe videretur hoc adjicere *ſupple* Et.

X. v. 5. *Adnuimus pariter:* vetuli notique columbi, *Sic*, inquit, *omnes habent libri manuſcripti. Sed videtur legendum, Annuimus pariter* vetulis notiſque columbis. *Dictum autem Graecorum more*, pariter vetulis. *Nam ut vulgo explicant, conſentimus, & concordamus inter nos, tanquam vetuli, & noti columbi, hoc* tanquam *addunt de ſuo: quod videtur non fuiſſe omiſſurus Horatius, aut vocem aliquam ſimilem.* Commodiſſime dicemus hic ſubintelligi participium verbi ſubſtantivi ENS, quod, cum in uſu non ſit, pro eo adhibendum pronomen relativum & verbum *ſum*, ut ſit, *qui ſumus vetuli notique columbi.* De qua Ellipſi vide Sanctium & Perizonium Minerv. Lib. IV. Cap. 4.

v. 18. *Eſt, ubi* divellat *ſomnos minus invida cura?*

Divellat, inquit, *habent libri vulgati: ſed* depellat *ſcriptum eſt in plurimis codicibus; & omnino* depellat *magis probo, quam* divellat*: itaque edendum curavi.* At quis non cenſeat melius dici *ſomnos abrumpere, divellere*, quam *depellere?* Quis etiam in hiſce ſtudiis verſatus,

non

Digitized by Google

non animadvertat rariorem locutionem *divellat ſomnos* diſplicuiſſe Correctori?

Lib. II. II. v. 53.

Quae poterunt umquam ſatis expurgare cicutae,

Acron, inquit, *& ceteri* cicutam *accipiunt pro* helleboro; *quod omnino abſurdum eſt: nam primum* cicuta *immoderato frigore enecat. Deinde*, cicuta *non adhibetur a Medicis ad purgandum*, *neque vim habet ullam purgandi*, *dicendum igitur alterum opinor e duobus*, *vel* cicutas *hoc loco ſignificare* cucurbitulas; *quod mihi veriſimile non ſit*, *vel legendum* ſicuiae *ſive* ſicyiae. Sed hanc emendationem recte improbarunt Mattius, Torrentius, & Marcilius; & hic quidem, tum ad hunc verſum, tum ad Perſ. Sat. V. vv. 144. 145.

. . . . . calido ſub pectore maſcula bilis
Intumuit, *quam non extinxerit urna* cicutae.

Art. Poët. vv. 265. 266. 267.

Idcircone vager, *ſcribamque licenter*? an *omnis*
Viſuros peccata putem mea; *tutus &* extra
Spem veniae cautus?

Mendoſe, inquit, *in omnibus libris legebatur* intra ſpem veniae cautus; *quae ſcriptura mire torſit eos omnes*, *qui in hanc epiſtolam commentarios ſcripſerunt. Ego autem conjectura ductus*, *& ab ipſius veritatis voce admonitus*, *locum corruptum emendavi*, & extra ſpem veniae cautus, *ſic legendum*, *quicquid obſtrepant ſemidocti*, *ſeu potius indocti quidam*. Ad quae verba ſic Muretus Var. Lect. Lib. XIII. Cap. 5. *Mihi vero ſemidocto*, *ſive etiam*, *ſi quis ita malit*, *in-*

docto

Digitized by Google

docto ſeſquidoctus ille plane extra ſpem veniae *peccaſſe in Horatium non hoc tantum loco videtur*. Et Muretus quidem *extra ſpem veniae cautus* legi non debere ibidem oſtendit; verum non animadvertit illud *an omnis* mendo laborare; hujus autem tollendi & verborum ſeries & emendandi ratio viam tam clare commonſtrant, ut intelligens Criticus, libris etiam ſemotis, veram hujus loci lectionem nullo fere negotio invenire poſſit: unde miror, te V. Cl., qui in duobus Mſſtis ſic legi admonuiſti, *Ut omnis*, more ſolito non addidiſſe, *ſic legendum eſſe* OLIM VIDERAM. Obſervatio autem, quae *Ut* pro *An* reponi jubet, eſt haec; Antecedentia Correctoribus corrumpendi conſequentia ſaepe cauſam praebuiſſe. Itaque particulam *Ut* in *An* mutarunt, quia praeceſſit *Idcircone*. Quam obſervationem exemplis ex Horatio adductis certiſſimam eſſe in Notis demonſtravi. Ex eo quoque orta eſt hujus loci depravatio, quod Grammatici verborum ſenſum non perceperunt; quorum hunc eſſe Statius à te relatus exiſtimat; *Itane licenter ſcribam, contemtis omnino & disjectis numeris, ut omnes id & ſentiant, & ignoſcant tamen?* Quae interpretatio tibi diſplicuit; *non perſenſit*, inquis, *Vir eruditus* Ut *poni hic pro* quamvis, licet, *quo ſenſu infinitis locis apud Scriptores occurrit*. Ovid. Didûs v. 15.

Ut terram invenias, quis eam tibi tradet habendam?

Tria hic animadvertenda ſunt; unum, quod pro illis verbis, *non perſenſit Vir eruditus* Ut

 hic

hic poni pro quamvis, haec ſcribi oportuit, non animadvertit. Vir eruditus Acronis enarrationem veriorem eſſe, *an debeo*, inquit ille, *ſecurus eſſe, data venia*, quamvis *palam* erunt peccata mea? haec autem interpretatio quae hoc loco, ut dixi, poni debuerat, a te poſtea plurimis interjectis, in extremo poſita eſt, idque non negligentia, ſed callido, ni fallor, conſilio factum; nempe, ne hanc expoſitionem ab Acrone accepiſſe videreris. Dices forte, iniquum eſſe hoc judicium; quoniam nihil magis notum eſt, quam *ut* pro *quamvis* crebro poni. Et hoc quidem verum eſt. Sed hoc loco *ut* ſic poni, quivis non temere animadvertat; quia rerum ac verborum ſeries, quae aliis in locis hujus particulae hanc eſſe vim declarant, hoc in loco idem non praeſtant. Hanc autem cenſuram aequo animo ferre debebis, quia etiam alibi, ut ſuo loco & tempore oſtendam, ſimili calliditate ad aliena pro tuis venditanda te uſum eſſe deprehendi. Alterum hic animadverſione dignum eſt, quod verba, quae habet Scholiaſtes Cruquii ad vocem *cautus*, non adtuliſti. Cautus, *hoc eſt*, *numquid adeo audacter ſcribam*, *quia certus ſum quod mihi indulgebitur ſi errem ſicut aliis.* Atque haec enarratio Commentatoris nihil differt ab illa Statii niſi, quod ille particulam cauſalem *quia* addidit; *quia*, inquit, *certus ſum.* Equidem hanc explicationem illi, quam ex Acrone adduxiſti, praeferendam eſſe arbitrer. Nam cum haec verba, *Idcircone vager*, non ad ante-

antecedentia, ut Lambino placuit, ſed ad conſequentia, ut tibi & Statio viſum eſt, referenda ſint, illud convenienter ſubjicitur, *quia tutus & intra. . . . Spem veniae cautus*. Quare, ut ad tertiam animadverſionem veniam, exiſtimo totum hunc locum ſic legi debere:

Idcircone vager ſcribamque licenter, ut *omnes*
Viſuros peccata putem, quod *tutus & intra*
Spem veniae cautus?

Pronomen *mea*, quod e gloſſemate irrepſiſſe videtur ejicio, quia illud ex verbis *vager*, *ſcribam*, *putem*, ſatis intelligitur. Deinde, quia Cruquii Commentator illud in ſuis libris non videtur habuiſſe: nam, cum is interpretatur vocem *peccata*, pronomen *mea* non adfert (ſolet autem ea, quae exponit, integre apponere) *peccata*, inquit, hoc eſt *vitia mei carminis:* denique, quia Corrector, cum verborum *quod tutus & intra . . . . Spem veniae cautus*? ſenſum non perciperet, *quod* ejecit, & pronomen *mea*, quod ipſe locus ultro ei offerebat, in ejus locum ſubſtituit. Horum autem verſuum ſenſus eſt hic, Idcircone ita vager ac ſcribam licenter, ut putem omnes viſuros peccata, ſcilicet *meorum verſuum*, quia tutus ſupple *ero* vel *futurus ſum*; & cautus intra ſpem veniae, particulam *ita*, quia ea ſaepe reticeri ſolet, cum Statio addidi; verbum autem ſubſtantivum, quod poſt *tutus* ſupplevi, haud raro ſubintelligi Viri eruditi non ignorant. Quamquam autem haec noſtra

Digitized by Google

emendatio pro certa atque indubitata habenda non foret, eam tamen omnino adferri debuiſſe prudens & circumſpectus Criticus judicabit. Denique, quod hic adnotas praepoſitionem *intra* ubicumque invenitur, eandem habere ſignificationem, in eo graviter erras; alias enim apud Ciceronem ſignificare *in*; alias *citra* Gellius Lib. 12. cap. 13. oſtendit. Ex quibus peccatis, ut alia, quae plurima ſunt, omittam, noſtrum de Lambini imperitia in Horatii Poëmatis recenſendis judicium verum eſſe & aequum ſatis apparet.

CAPUT XIX.

Ex variis Lectionibus, quae apud Lambinum habentur, Regulas ad Horatii Poëmata emendanda pertinentes illius temporibus conſtitui potuiſſe; Criticumque ad eaſdem acriter attendentem non ſolum correctiones omnes a Viris doctis repertas, ſed & omnes probas lectiones (una & altera excepta) quae Fabricii, Cruquii, Pulmanni, Torrentii, Berſmani & Bentleii diligentiae debentur, invenire potuiſſe.

CUm hic Liber Animadverſionum formam magnitudinis, quam ei, cum hoc opus adgrederer, deſtinaveram, jam exceſſerit; par-

Digitized by Google

partem tantum ejus, quod hujus Capitis inſcriptio promittit, in praeſenti complectar; quod reliquum erit in Notis noſtris ad Horatium perfectum atque abſolutum Lector reperiet.

Duabus igitur Obſervationibus, iiſque ipſis, quas tibi V. Cl. aliiſque quibuſdam Criticis cognitas eſſe animadverti, ad hoc, quod polliciti ſumus, praeſtandum utemur. Harum altera eſt ea, quae vitioſas lectiones, quas indocti Correctores ob ignorationem vocabuli paullo inſolentioris in contextum intruſerunt, detegit, viamque eas emendandi commonſtrat. Altera eſt ea, quae mendas, quibus ignoratio conſtructionis contextum inquinavit, oſtendit, modumque eas eluendi docet ac praeſcribit.

A poſteriore exordiar, quoniam ea priorem utilitate vincit; idque quinquaginta loci ea ipſa duce a me ſuperius emendati ſatis ſuperque teſtantur. Atque hanc quidem obſervationem ex variis lectionibus, quas Lambinus e ſuis libris protulit, facile erui potuiſſe magna exemplorum huc ſpectantium copia demonſtrat: ex his quinque vel ſex ad illud, quod intendimus, firmandum e primo Libro Carminum adferre ſufficiet.

Lambinus ad Lib. I. Carm. I. v. 36. monet ibi in ſuis Libris legi *ſublimi feriam*, *ſublimis feriam*.

Item ad Carm. II. v. 31. apud eum alii Libri legunt *Nube candenteis humeros*, alii *nube can-*

candenti, & eod. Carm. v. 46. alii habent *populo Quirini*, alii *populo Quirino*. Item Carm. IV. v. 12. *poſcat agna* in aliis legitur, in aliis *poſcat agnam*. Item Carm. XXII. v. 2. alii legunt *Mauri jaculis*, alii *Mauris*. Item Carm. XXVII. v. 19. alii habent *laboras in Charybdi*, alii *laborabas Charybdi*. Item Carm. XXVIII. v. 18. plerique Codices *avidis mare nautis*, unus *avidum*.

Hoc igitur probe ſtabilito, ſequitur, ut locos ex ignorata verborum conſequentia depravatos adferamus; unaque oſtendamus emendationes omnes tum veras tum veriſimiles, quas Viri eruditi aut ingenii viribus invenerunt, aut ex antiquis Codicibus & veterum Commentatorum ſcriptis depromſerunt, ab intelligente ac diligente Critico, quamquam is ſolis Lambini Commentariis uſus eſſet, potuiſſe reperiri. Hic tamen illud praemittendum eſt, alias in priſcis libris extare conſtructiones, quae ejuſmodi ſunt, ut eas ſola recte loquendi conſuetudo aſpernetur, quaſdam, quae tales ſunt, ut eas & puri ſermonis ratio, & loci ſententia reſpuant; nonnullas, quae tales ſunt, ut eas ſola ſententiae elegantia averſetur; quaſdam denique, quae ejuſmodi ſunt, ut eas numerorum concinnitas repudiet. Nunc ad rem, de qua agitur, venio. Ac primo tuas V. Cl. emendationes, quarum admirabilis eſt paucitas, ſuo ordine proponam; eaſque ipſas a Critico cujus menti Obſervatio, in qua verſamur, inſederit, facile inve-

inveniri potuiſſe demonſtrabo; & eodem tempore pleraſque ab aliis aut antea adlatas, aut ab aliis vias, quae ad eas ferrent, monſtratas fuiſſe oſtendam: Item earum nonnullas, quod incertae ſunt, probandas non eſſe; nonnullas etiam, quod vitioſae ſunt, prorſus improbandas eſſe evincam: in cauſis quoque mendorum adferendis peccata a te admiſſa caſtigabo.

Carm. Lib. I. III. vv. 21. 22. 23.

Nequicquam Deus abſcidit
Prudens Oceano diſſociabili
Terras.

Quocunque in loco duo ſubſtantiva & adjectivum reperiuntur, Criticus non ſolum diſpiciet ad utrum eorum hoc referatur, ſed & an ad neutrum, ut alia verborum conſtructio quaerenda ſit. Itaque hac obſervatione admonitus cogitabit, annon *diſſociabilis*, ut ad *terras* pertineat, legendum ſit; & hunc quidem locum N. Heinſius in Notis ad Val. Flaccum pag. 221. ſic citat; *diſſociabiles* terras. Tu vero V. Cl. eo non commemorato, ſic ſcribis; *etſi diſſociabilis active per analogiam, ut Interpretes volunt, ſumi poſſet, vide tamen quam inficeta demum ſententia exorietur:* Deus abſcidit terras Oceano diſſociabili, *hoc eſt*, Deus abſcidit terras Oceano, qui terras abſcindit. *Quiſquamne ſibi perſuaſerit, putidulum hoc ab Horatio profectum eſſe? Tu vero ſic ſcribe, ſi ſapis, unius literulae adjectione.*

Nequicquam Deus abſcidit
Prudens Oceano diſſociabilis
Terras

O ſapiens conſilium! omnino legendum *diſſociabile*, hoc eſt, *abſcidit diſſociabiliter*; quam conſtructionem, etſi ea Poëtae frequentiſſime utuntur, cum Interpolator non intelligeret, leviſſima mutatione *i* pro *e* repoſuit, ſcilicet ut adjectivum cum verbo *Oceano* conjungeretur. Praeterea haec emendatio ad loci ſententiam accommodatiſſima eſt; *Deus Oceano terras abſcidit diſſociabiliter*. Item ex hac obſervatione Epod. XVI. v. 48.

Levis *crepante Lympha deſilit pede.*

Lego *leve*, hoc eſt, *leviter*, ut *leve* ad *crepante* referatur, non ad *lympha*; leve enim aquae murmur jucundum eſt. Propert. L. II. El. XXIII. v. 49.

Et leviter *nymphis tota* crepitantibus *urbe*,

Claudian. in nupt. Honor. & Mariae Feſcen. v. 54.

Leve Mincius ſuſurret,

Ovid. Faſt. L. II. v. 704.

Sectus humum rivo lene ſonantis aquae.

Et apud Virgilium, Aen. L. III. v. 70.

Dant maria & lenis crepitans *vocat Auſter in altum*;

Ubi primo aſpectu *lene* legendum eſſe animadverti,& admiror Nic. Heinſium in contextum *lenis* recepiſſe; cum *lene* in aliquot Codicibus extare Pierius teſtetur. In duobus autem hiſce locis error ortus eſt, & ex ignorata verborum conſequentia & ex ignorata menſura poſtremae ſyllabae in *leve* & *lene*, quae utrobique producta eſt propter c & r in *crepante* & in *cre-*

Digitized by Google

crepitans. Item ex hac regula, Epod. XVII. vv. 32. 33.

nec Sicana fervida
Furens in Aetna flamma.

Fervidum repono, *fervidum furens*; ut alibi Noſter *turbidum laetatur*, *lucidum fulgentes*, *perfidum ridens*. Hic autem *flamma*, quod ſtatim ſequitur, anſam mutandi *fervidum* in *fervida* Correctori porrexit. Denique *fervidum furens* eleganter dictum eſt; *fervida autem* quodammodo languidum *flammae* epitheton hic eſſe videtur. Ex eadem quoque regula, Serm. Lib. II. V. v. 20.

Pauper eris. Fortem *hoc animum tolerare jubebo:*

legendum *forte*, hoc eſt, *fortiter*; melius enim dicitur, jubebo animum hoc fortiter ferre vel tolerare, quam fortem hoc animum tolerare; *fortiter* autem *ferre*, *tolerare*, recte dici nemo, ut opinor, ignorat.

XIII. vv. 18. - 20.

Quos *inrupta tenet copula; nec malis*
Divulſus quaerimoniis
Suprema citius ſolvet amor *die.*

Qui Critices paullo peritior eſt, vel mediocri adhibita attentione, propter *Quos*, quod praeceſſit, legendum eſſe *divulſos*, facile conjecerit: neque vero haec emendatio a te primo animadverſa eſt, nam *divulſos* legitur in duabus editionibus Mureti, & totidem Bruti. Sed Notam tuam hic adſcribam. *Ego vero*, inquis, *ſine codicum auctoritate tam commodam lectionem non moveo. Tamen autem, aut fal-*

 ler,

lor, aut elegantior exiret ſententia, ſi pro divulſus *legeremus* divulſos. Immo *divulſus* retinendum, etſi plurimorum Codicum auctoritate *divulſos* niteretur. Et quod ſcribis *divulſos* hic elegantius eſſe, eſt ineptiſſimum. Quis enim ignorat hoc adjectivum hic elegantius & figuratius cum *amore*, qui eſt animi affectus, jungi, quam ad *amatores* referri. Deinde tria exempla ad emendationem confirmandam adducis. *Ita*, inquis, *Noſter alibi*, *Carm. III.* 9.

Quid ſi priſca redit Venus,
Diductoſque *jugo cogit aëneo.*

Et II. 17.

Me nec Chimaerae ſpiritus igneae
Divellet *umquam.*

Et I. 36.

- - - - - *nec Damalis novo*
Divelletur *adultero.*

Ubi omnia, *ut vides*, *ad* amatores, *non ad ipſum* amorem *referuntur*. Hic, ut centies alibi, uteris exemplis ad cauſam tuam nihil facientibus: numquid in ullo ex tribus his exemplis, duo vocabula, ad quae adjectivum referri poſſit, reperiuntur? Nonne in illo Horatii *amor*, *quos*, *divulſus* vidiſti? Quare, ut exemplum ad id, quod intendebas, probandum valeret, locus adferri debuerat, in quo duo ſubſtantiva cum adjectivo ſcripta viderentur.

XXXI. vv. 9. 10.

Premant Calena *falce*, *quibus dedit*
Fortuna, *vitem*:

Hic

Digitized by Google

Hic duplex lectio; nempe *Caleni*, ut ad *premant* ſpectet: *Calenam*, ut ad *vitem* pertineat; Critico paullo peritiori ſeſe offert. *Calenam* autem rectius eſt, quia Flaccus figura, quam Interpretes genus pro ſpecie vocant, hic utitur; *Calenam*, dicit, *vitem*, hoc eſt, *nobiliſſimam:* de qua vite *Fortuna dedit*, bene dicitur; at de illis verbis, *premant Calena falce*, hoc eſt, optima, *vitem* Epitheto, quod vitis generoſitatem demonſtraret, non addito, *Fortuna dedit* parum recte dicitur. Vulgatam tamen ſcripturam tueri videtur Dacerius; putat enim, *premant Calena falce vitem*, hic poni pro *premant falce vitem Calenam.* Haec autem enarratio non placet, quia boni Poëtae Hypallage non utuntur, niſi cum ea, vel orationi elegantiam adfert, vel numeros efficit concinniores, vel forte cum metri neceſſitate ea uti coguntur: itaque, cum horum nullum hic locum habeat; ea figura Flaccum hic uſum eſſe dicendum non eſt. Poëtae ſane mentem optime intellexit Vir eruditiſſimus: illud vero eum fugit, quod constructionis ignoratio Correctoribus multa corrumpendi cauſam praebuit. Caeterum haec ejus interpretatio tibi veluti digito monſtravit legendum eſſe *Calenam.* Quod autem hic V. Cl. praeter morem, Dacerium non perſtrinxeris, & prudentiam tuam, & moderationem vehementer laudo. Nam, ſi alienas laudes, ne tuas opprimerent, ſilentio nonnunquam obruiſti; profecto alienus error, qui ſi in medium prolatus

latus eſſet, totam tuae emendationis obſcuraſſet gloriam, ne attingi quidem debuit. Nunc tuam adnotationem ſubjiciam; *Lego*, inquis, *non littera*, *ſed lineola duntaxat addita*.

> *Premant* Calenam *falce quibus dedit*
> *Fortuna vitem:*

Sic enim & compoſitio ſuavior eſt, *& Epitheton digniori vocabulo tribuitur*. Hic, ut ſaepe alibi, in cauſa mendi adferenda peccas: nam vitium ex eo ortum eſt, quod Interpolator *Calena* ad *falce* propinquius ſubſtantivum referendum putavit, & idcirco literam *m* obliteravit: vel ſi pro ea ſupra poſtremam in *Calena* ſyllabam lineola -, qua *m* ſignificatur, ſcripta fuit, non dicendum eam a Librario omiſſam, ſed a Correctore fuiſſe deletam: maxime, cum verborum conſtructio ab imperitis hominibus ſexcentis locis depravata fuerit.

XXXVIII. vv. 5. 6.

> *Simplici myrto nihil adlabores*
> *Sedulus curo:*

Hic locus duas emendationes admittere videtur, & harum quidem alteram ſcilicet *cura* ut ad verbum *puer* referatur, nullo labore Emendator invenire poterit; alteram *ſedulus curae* labore non admodum magno: poſterior autem quia ab Interpolatoris ingenio alienior eſt, priore, quae ejus ingenium prae ſe fert, omnino rectior eſt. Sed Nota tua adferenda eſt. *Itane vero?* inquis, *an Horatius tantopere* curat, *ne ſervulus praeter mandatum*

Digitized by Google

datum myrto aliquid addat? mirum ni Saturnalia tunc agebantur, & ſervi dominis imperabant. Tu vero lege, meo periculo, & diſtingue,

Simplici myrto nihil adlabores
Sedulus cura.

Cura, *inquit, ſive* cave, *ne nimia diligentia vel roſam vel philyram vel quidquam appares, praeter unicam myrtum. Utique pro imperio dixiſſet Noſter*, ſedulus MANDO. *Sed ſine dubio legendum* CURA.

Hic & contra praeceptum emendandi peccas, & tecum pugnas. Contra praeceptum; quia, cum in Bodleiano codice *ſedulus curae* legeris, ad emendationem confugiendum non fuit. *Cura* autem ideo tibi diſplicere debuerat, quod interpolationem, ut jam dixi, redoleret, atque ita ante te imperitus Corrector *cura* in contextum intruſit; ſic enim legitur in vetere editione ſine anno, loco & Typographo, & fortaſſis *cura* habuit ex hac editione Weitzius; is enim in Notis ad Pervigil. Veneris v. 6.

Implicat gazas virentes de flagello myrteo.

ut probet coronam e myrto in conviviis ſolitam plecti, ſic hunc locum adtulit;

Simplici myrto nihil allabores
Sedulus cura:

Illud ſane doleo, quod haec emendatio, ut aliae multae, tibi praerepta ſit. Sed praeter lectionem *cura* ex hac elocutione *ſedulus curae* ob ignoratam conſtructionem *curo*, quod omnes ſcripti, quos inſpexerim, ſervant, emanavit:

navit: quae lectio, etiamſi vera non eſſet, non idcirco tamen vera cenſeri deberet *cura*, quia illa ſcriptura *ſedulus curae*, quam ne impugnaſti quidem, veriſſima eſt. Sed reſtat, ut demonſtrem te in Notis poſuiſſe, quod cum tua emendatione *cura* aperte pugnat. Epod. VII. v. 13.

Furorne caecus, *an* rapit *vis acrior*,

ubi *elegans*, inquis, *lectio eſt*, *quam ſervat codex Regiae Societatis cum duobus Torrentii*,

Furorne caecos, *an* rapit *vis acrior*,

Vix, ais, *dubites*, *quin ab Horatii manu fuerit*; *unde enim Librariis tam non vulgatam conſtructionem? Contra*, *receptam lectionem ex hac procudere proclive iis fuit*. Quid? nonne *ſedulus curae* minus vulgata eſt conſtructio, quam *furor* rapit caecos? nonne *curae* in *cura* mutare proclivius fuit Interpolatori quam *ſedulus cura* in *ſedulus curae*? Quare, vix dubites, quin ab Horatii manu fuerit *curae*.

Nunc Poëtae mentem, quam tu V. Cl. non in totum intellexiſti, cum lectione *ſedulus curae* mirifice conſentire oſtendendum eſt. Horatius his verbis *ſimplici myrto nihil adlabores*, vult, ut ſervus nihil ad myrtum addat, & horum quidem verborum ſenſus eſt apertiſſimus: deinde, quia vehementem operam a ſervo in corona plectenda aliter quam plecti oportuit, inſumi animadvertebat, addit reprehenſionem ſed lenem his verbis *ſedulus curae*, nam potuerat durioribus eum reprehendere, nempe his *ſedulus ſtulte*; verum, quia ſervi peccatum impru-

imprudentiae adſcribendum eſſe ſciebat, graviorem id non mereri animadverſionem judicavit. Neque quidquam Horatium pro imperio dixiſſe, verba quae continenter ſubjecit, demonſtrant, *neque te miniſtrum - - - Dedecet myrtus. &c.* haec enim ratio declarat Poëtam noluiſſe voluntatem ſuam, ut dominis licet, pro ratione ſtare. De dominorum autem officiis in ſervos ſic ſcribit Cicero Offic. Lib. I. c. 13. *Eſt autem infima conditio & fortuna ſervorum: quibus, non male praecipiunt, qui ita jubent uti, ut mercenariis.*

Deinde, *favet*, inquis, *Manuſcriptus Bodleianus, qui habet* curae. *Atque adeo mirabuntur plerique tam conſpicuum mendum tam longo tempore indeprenſum latere potuiſſe. Sed aliud longe eſt erratum corrigere, aliud agnoſcere ſemel correctum.* Immo codex Bodleianus veram, ut jam oſtendi, lectionem exhibet; & tantum abeſt ut tuae emendationi faveat, ut eam funditus evertat. Itaque mirabuntur omnes lectionem tum certiſſima obſervatione, cum veteris libri auctoritate comprobatam a tam perſpicaci recti ac pravi Judice potuiſſe damnari. Sed aliud eſt locum vitioſum ſanare; aliud ſanum corrumpere. Denique illa verba *Tu vero lege meo periculo* cura; & poſtea haec verba; *Sed ſine dubio legendum* cura, neque prudenter neque verecunde a te prolata eſſe plerique fortaſſe pronuntiabunt.

Lib. II. V. vv. 11. 12.

Diſtinguit Auctumnus racemos;

Pur-

Purpureo varius colore.

Cum hoc loco duo ſubſtantiva *Auctumnus*, *racemos* inveniantur, & *racemos* propius abſit ab adjectivo *varius*; quicumque hanc artem exercet, etiamſi is regulam, in qua verſamur, cognitam non habeat, nullo paene labore, niſi ineptis illis Interpolatoribus caecior ſit, reperiat adjectivum *varius* cum *racemos* poſſe conjungi, & ſic *varios* legendum eſſe. Et quoniam haec lectio Interpolatoris ingenium redolet, cum tuam legerem adnotationem, ſtatim mihi venit in mentem fore, ut olim ea in aliquo libro reperiretur. Neque me mea fefellit opinio; nam in uno MSSto. & duabus editionibus *varios extare*, & ita a docto Hiſpano citari ſupra pag. 265. oſtendi. Quod autem hic ſcribis, *Quis vel Poëta dixerit, vel Pictor finxerit Auctumnum, aut varium colore purpureo, aut vario colore purpureum*, *ſine dubio ſubeſt mendum*: quare *varios* reponendum cenſes. Non dicit Horatius, quod tu ei tribuis, ſed hoc dicit. *Auctumnus lividos racemos purpureo colore diſtinguet*; & eodem fere modo Ovidius de Auctumno dixit Art. Amat. Lib. II. vv. 315. 316.

Saepe ſub Auctumnum, cum formoſiſſimus annus,
Plenaque purpureo ſubrubet uva mero;

Auctumnum autem purpureis uvis coronatum ſcite pingi quis ignorat. Praeterea Horatius Epod. II. vv. 15. 16.

Vel cum decorum mitibus pomis caput
Auctumnus arvis extulit.

Auctum-

Digitized by Google

Auctumnum eleganter deſcripſit, & quod ex Ovidio adfers, ad tuam emendationem firmandam nihil valet. Ovid. Metam. III. v. 483.

Non aliter quam poma ſolent quae candida parte,
Parte rubent; aut ut variis *ſolet uva racemis*
Ducere purpureum, *nondum matura*, colorem.

Qui locus, inquis, *ex Horatiano hoc expreſſus videtur: utrobique enim habes* varios racemos, *&* purpureum colorem. Equidem cum Ovidius hos verſus meditaretur, quin in mente illos Horatii habuerit, vix dubitaverim. Verum hujus & illius verba tam multum differunt, ut exiſtimandum non ſit illum apud Noſtrum *varios* inveniſſe. Nam hic habes *Auctumnus* ad quod *varios* referas, illic aliud praeter *racemis* ad quod *variis* referas non habes: deinde hic habes *Auctumnus diſtinguet*, quod aliud quam *ducere* ſignificat; denique *diſtinguet lividos racemos varios purpureo colore*, minus apte dicitur quam *uva nondum matura ducit purpureum colorem variis racemis*. Caetera, quae contra vulgatam lectionem *varius* adducis, ſupra infirmavi p. 265. Deinde ſcribis: *Certe poſteriora verba ad* racemos *non ad* Auctumnum *pertinent*. Immo haec *purpureo colore* pendent a verbo *diſtinguet*, ut Cl. Dacerius recte animadvertit. Auctumnum autem varium dicit Horatius, quia varios fructus producit. Virg. Georg. II. v. 521.

Et varios ponit foetus Auctumnus,

Idem Dacerius notat *varius* hic idem valere, quod *daedala* apud Lucretium.

tibi ſuavis daedala tellus
Summittit flores.

Vide Feſtum in *daedala*, & ibi Dacerium.

XVI. vv. 25. 26. 27.

Laetus in praeſens animus, *quod ultra eſt*
Oderit *curare*, *&* *amara lento*
Temperet *riſu.*

Verſu ſeptimo legitur *Groſphe* vocativo caſu, ad quem caſum ſi Criticus attenderit, ut certe debet, facile inveniat pro *oderit*, *temperet*, *oderis*, *temperes*, legi poſſe, ex qua correctione ſequitur, ut pro *laetus animus* reponatur *laetus* animi conſtructione notiſſima. Verum, quia Flaccus poſt verſum ſeptimum dicit v. 13. *vivitur parvo*, & poſtea v. 17. dicit, *Quid brevi fortes jaculamur*, vv. 25. 26. 27. vulgata lectio *animus*, *oderit*, *temperet*, mutari non debet. Sed adnotatio tua adſcribenda eſt. *Vide an non melius* Animi, Oderis, Temperes. *Melius certe videtur*, *ut ſecunda perſona dirigantur haec ad Groſphum*, *quam ut ſententioſe proferantur. Melius quoque*, *ut ipſe Groſphus*, *quam ut ejus* animus ridere *jubeatur: melius denique illud infertur*; *quod ſequitur paullo poſt*;

Et mihi forſan tibi quod negarit
Porriget hora.

tibi, *nempe*, *quem prius allocutus ſum*. Haec Nota in quatuor reprehenſiones incurrit, unam, quia, cum Horatius poſt verſum ſeptimum, ubi *Groſphe* extat, v. 13. dixerit *vivitur parvo*, & poſtea v. 17. dixerit, *Quid brevi fortes jaculamur*; & v. 21. ſubjecerit; *Scan-*

Digitized by Google

Scandit aeratas &c. cauſa non eſt, cur vulgata lectio *animus*, *Oderit*, *Temperet* repudietur. Etenim hoc loco Horatius docet qua ratione vita a curarum moleſtiis liberari queat, nimirum, ut animus in praeſens laetus ſit; neque quid ultra futurum ſit, curet: & quia res amarae vitam ſaepe contriſtant, jubet ut animus eas lento riſu, id eſt moderato, non effuſo temperet.

Deinde illud in reprehenſionem incurrit, quod dicis *Oderit curare* &c. ſententioſe proferri, quia gnome non per imperativum modum vel ſubjunctivum, ſed per praeſens tempus indicativi efferri ſolet, velut in eo quod continenter ſequitur; *Nihil eſt ab omni - Parte beatum:* & ſimiliter Carm. Lib. II. XI. v v. 17. 18. *diſſipat Evios . . . . Curas edaces:* & Lib. IV. XI. v v. 35. 36. *Minuuntur atrae . . . . Carmine* curae; ubi tu V. Cl. *ſi* minuuntur *placet*, *tum ſententioſe dictum erit:* & eodem Lib. IV. XII. v. 28. *Dulce eſt deſipere in loco.*

Tertio in eo reprehendendus es, quod non animadvertiſti illud,

Et mihi forſan tibi quod negarit
Porriget hora.

referri ad *Nihil eſt ab omni - Parte beatum:* Neminem enim ab omni parte beatum eſſe triplici ratione firmat; una ab Achille, altera a Tithono, tertia denique a ſeipſo & Groſpho petita. *Et mihi forſan tibi quod negarit - Porriget hora.*

Digitized by Google

Quarto denique in reprehenſionem cadit il-la ratio, *melius quoque ut ipſe Groſphus*, *quam ut ejus* animus ridere *jubeatur*; quoniam non hic quid melius dicatur, ſed quid Horatius dixerit, conſiderandum eſt: nonne Lib. IV. IX. v. 39. de Lollii animo dicit, *Conſulque non unius anni*; & vv. 41. 42. *Rejecit alto dona nocentium - Voltu*; quamquam hoc utrumque de ipſo Lollio melius dicatur?

Lib. III. III. v. 23.

Caſtaeque damnatum *Minervae*,

Ubi tu V. Cl. ſic ſcribis; *Vide quaeſo circuitum periodi*, Ilion, Ilion judex & mulier peregrina vertit pulverem damnatum mihi *&* Minervae, *&c. hoc eſt*, Ilion damnatum. *Ubi*, *ut & obſcuritas & ambiguitas evitetur*, *malim Ilion* DAMNATAM: *quippe intervenit* τὸ *pulverem*, *dubiumque prima facie reddit*, *utrum* Ilion damnatum, *an* pulverem damnatum *velit*.

Immo nulla hic ambiguitas, nulla obſcuritas; quis enim adeo ineptus eſt, ut putet *damnatum* ad *pulverem* referri? Corrector *damnatam* in *damnatum* mutavit, quia *Ilion* neutri generis eſſe, ſcilicet a recto caſu Ilion, exiſtimavit; eſt autem ab *Ilios*, quod, ut ſupra oſtendi, feminini generis eſt.

VI. vv. 10. 11. 12.

Non auſpicatos contudit impetus
Noſtros *&* *adjeciſſe praedam*
Torquibus exiguis renidet.

Criticus mediocri adhibita attentione conji-
ciet

Digitized by Google

ciet hic legi poſſe *Noſtris*, ut a contudit pendeat; vel *Noſtrorum*, ut ab *impetus* regatur. Sed notam tuam adponam. *Scabrum profecto hoc eſt*, inauſpicatos impetus noſtros. In Priſciano p. 891. *Sic hodie legitur*,

Inauſpicatos contudit impetus
Noſtris.

Noſtris, *hoc eſt*, Romanis; *& recte* Noſtris *caſu dativo*, *ut* Serm. II. VII. v. 15.

poſtquam illi *juſta cheragra*
Contudit *articulos*.

Recte quidem dicitur *contudit illi caput*, *articulos* & ſimilia: verum haudquaquam recte dicitur *contudit illi impetus*, *audaciam*, *minas*; *illius* enim dicendum eſt. Horatius Carm. Lib. IV. III. v. 8. *Quod regum tumidas contuderit minas*, Cicero Philipp. XIII. c. 13. *quod ego unus relictus e multis contudi & fregi*, *adjuvantibus vobis*, *exſultantis praedonis audaciam*. Propert. Eleg. I. I. v. 10. *Saevitiam durae contudit Iaſidos*. Ceterum *Noſtris* apud Priſcianum legi, Turnebus Adverſar. Lib. XVI. c. 6. ante te admonuit. Deinde, *poteris etiam*, inquis, *legere* Noſtrorum. Impetus noſtrorum, *ut Caeſar B. Civ. II. c.* 25. Neque vero primum *impetum* noſtrorum Numidae ferre potuerunt. Verum *Noſtros* ſervandum eſt, & diſtinguendum poſt *impetus:* Ordo autem eſt; *& renidet adjeciſſe* noſtros, nempe torques praedam exiguis torquibus; quo loquendi genere Noſter plerumque utitur. Unicum nunc locum adſcribam Epod. I. v. 15.

Digitized by Google

Roges tuum labore quid juvem meo.

Ubi per metrum poterat ſic,

Roges laborem quid tuum *juvem meo.*

Illud hic obiter admonendum in multis Codicibus *laborem*, quod a Correctore profectum eſt, extare. *Noſtros* autem nempe torques *praedam* per Epexegeſin dictum ut apud Propertium Lib. III. 9. vv. 31. 32.

Conjugii obſcaeni precium *Romana* popoſcit
Moenia, & addictos *in ſua regna* patres:

XIV. vv. 21. 22.

Dic & argutae properet *Neaerae*,
Murteum nodo cohibere *crinem:*

Properet idem hic ſignificat, quod *maturet*, Carm. Lib. II. XI. v. 23. hoc eſt, propere veniat; & *maturet* illic ſignificare *mature veniat*, omnes fere Interpretes indicarunt: at hic *properet* hoc idem denotare praeter Eduardum a Zurk nemo, quod ſciam, animadvertit, ex qua interpretatione neceſſario infertur *cohibere* a verbo *properet* non regi. Cum autem ad aliud vocabulum quam *nodo* hoc referri neque conſtructio, neque metri lex patiatur, Criticus ad obſervationem, in qua verſamur, animum advertens, conjiciet reponendum *cohibente.* Sed Nota tua adnectenda eſt; Properet, inquis, *crinem nodo redimire: quid tum poſtea? an ut domi maneat? imo vero*, properet *ut ad nos veniat. Quamobrem vel invitis exemplaribus legendum* cohibente. *Certiſſima haec emendatio eſt.* Eſt ſane certiſſima. Sed Muretus, Barthius & Junius ita hunc locum

ante

ante te citaverunt. Vide ſupra pag. 48. Deinde cauſam mendi adfers his verbis; *Facilis autem Librariorum lapſus a* cohibente *ad* cohibere. O ſagaciſſimum cauſarum peccandi inveſtigatorem! Librarii non lapſi ſunt hoc loco ex incuria; verum ſecuti ſunt imperiti Grammatici correctionem, qui, quod ignorabat poteſtatem verbi *veniat*, id eſt, *propere veniat*, exiſtimavit participium *cohibente* in *cohibere* mutandum eſſe. Praeterea tute ipſe ad Epod. XV. v. 15. *Corrigendus eſt*, inquis, *locus Librariorum audacia & ignorantia corruptus, qui lectionem veram* offenſi *ideo immutarunt, ut cum* formae *ſubſtantivo ſuo conveniret. Id, quod ſexcenties iis male ceſſiſſe ſciunt, qui Membranas veteres manibus verſarunt.* Mallem loco verbi *Librariorum* ſcripſiſſes *Grammaticorum*, *Interpolatorum*, vel *Correctorum*; Librariorum enim errata a Correctorum erratis ſeparanda ſunt: neque vero dubito, quin Librarii nonnulli, quod ſermonis Latini ſe imperitos non eſſe exiſtimabant, multa male mutaverint, verum ſine dubio, ea non ut Librarii, ſed ut Grammatici, ut Correctores mutaverunt. Quare ſi *offenſae* non Librariorum lapſu hic ſcriptum fuit; ſed *offenſi* in *offenſae* Correctoris audacia & ignorantia mutatum fuit, ut cum *formae* conveniret, dubitandum non eſt, quin illic *cohibere* non Librariorum negligentia ſcriptum fuerit, ſed *cohibente*, vel *cohibēte* Interpolatoris audacia & inſcitia in

Aa 4 *cobi-*

cohibere ideo mutatum, quod *cohibere* a verbo *veniat* pendere exiſtimabat.

XXVIII. v v. 1. 2.

Feſto quid potius die
Neptuni faciam?

Duae emendationes, eaeque ambae ab obſervatione in qua verſamur derivatae, hic adferri poſſunt, & harum una in promtu eſt; nempe ut loco *faciam* reponatur *facias*; idque ſuadet verbum *prome*, quod continenter ſequitur. Altera haud paullo reconditior eſt, nimirum ut pro *faciam*, *facere* legatur, ut ſubintelligatur *decet*, *oportet*, vel quiddam ſimile; atque haec Ellipſis, abrupto initio, non male convenit. *Facere* autem in *faciam* mutatum propter ignorationem Ellipſeos & menſurae ultimae ſyllabae in *facere*; quae producta eſt ob duas conſonantes *P. R.* in *prome*. Sed tuam V. Cl. adnotationem adſcribam.

Apparet, inquis, *hanc Lyden non ancillam, ſed amicam fuiſſe Flacci; atque adeo in Lydae domo commiſſationem hanc habitam eſſe. Quare omnino inepta eſt haec lectio* quid FACIAM. *Tu vero vel centum codicibus invitis, non cunctanter repone* facias. Deinde; *equidem miror*, inquis, *tot Interpretum aciem tam conſpicuum mendum effugere potuiſſe*. Eſt ſane haec conjectura & valde manifeſta & valde veriſimilis, eam tamen pro certa & explorata habendam non eſſe Notae noſtrae docebunt.

Lib. IV. IV. v v. 17. 18.

Videre Raeti *bella ſub Alpibus*

Dru-

Digitized by Google

Druſum gerentem Vindelici;

Criticus, cui regula, quae ad conſtructionem pertinet, probe cognita fuerit, vel primo aſpectu *Raetis* legendum eſſe animadvertere poterat. Et admiror Lambinum hoc idem non vidiſſe: is enim ad Carm. Lib. I. XXII. v. 2. *Mauris* jaculis, non *Mauri*, (quod quidam codices habent) recte in contextum recepit. Atque hoc loquendi genus Horatianum eſſe ibidem duobus exemplis oſtendit, *Maura unda*, *Mauris anguibus*: & alibi pluribus, veluti *Sulpiciis horreis*, *Colcha venena*, *Stertinium acumen*. Sed egregia tua adnotatio ſubjungenda eſt; *Nos jam olim certam hujus loci ſcripturam ex conjectura invenimus*.

Videre RAETIS *bella ſub Alpibus*

atque ad hanc nos deduxit Horatiani ſtili indoles: noveram enim Noſtrum numquam illud ſub Alpibus *ſic inornate & nude prolaturum fuiſſe. Poſtea ſagaciſſimum virum Nic. Heinſium nobiſcum facere didicimus*; *qui in ora exemplaris ſui*, FORTE, *inquit*, RHAETIS. Immo haec ratio nequaquam cogit, ut *Raetis* reponamus, (quod ex Notis noſtris ad Carm. III. XXV. v. 9. diſces) ſed ideo *Raetis* omnino legendum, quod Interpolator, neque loci ſententiam, neque verborum ſtructuram intellexit: nam ſententia eſt haec: Vindelici vidêre Druſum gerentem bellum ſub Raeticis Alpibus: & *Raetis* mutavit in *Raeti* tum, quia *videre* proxime praeceſſit, tum in primis, quia *Raeticis Alpibus*, non *Raetis* Latinum eſſe cenſuit,

 ſuit,

Digitized by Google

ſuit. Et ſimiliter venena *Colcha* in *Colchica* mutatum Carm. II. XIII. v. 8. Paullo poſt; *Tandem*, inquis, *in impreſſo codice ex Bibliotheca Petri Francii, cui variae aliquot Lectiones ex libris ſcriptis adnotabantur, reperimus manuſcriptum exemplar Rottendorphii* RETIS *exhibere: neque parum laetati ſumus divinationem noſtram membranarum auctoritate firmari.* Quid? tantane laetitia tam inſignis Criticus ob tam levem cauſam affici potuit? Nonne N. Heinſius aliud agens, id eſt collationi quorundam codicum incumbens *Raetis* legendum eſſe vidit? Nonne Sarbievius, quamvis in hac arte hoſpes, ſic legendum eſſe haud obſcure indicavit Lyricorum Lib. I. VI. v. 30.?

Pugnata Rhaetis *bella ſub* Alpibus

Quid? nonne & orationis ſeries, & obſervatio fideliſſima hanc emendationem tam certam tamque indubitatam eſſe demonſtrant, ut, etiamſi mille codices praeter eos, quos tu, aliique Editores omnes tractaverunt, *Raeti* haberent, *Raetis* tamen, quamquam nullius codicis auctoritate munitum, legi deberet? Et tu Vir Summe *non parum laetatus es tuam conjecturam veteris codicis* auctoritate firmari? Quid? nonne ob ignoratam peccandi cauſam, id eſt, quod non percepiſti *Raetis* in *Raeti* ex non intellecta, ut modo dixi, conſtructione Correctorem mutaſſe, dolere potius jam debebis, quam ob id, quod emendationem tuam in vetere libro extare didiciſti, debueras laetari.

Nam

Digitized by Google

Nam ſi Medicus, etiamſi aegrotum ſanavit, ſi in morbi cauſa erravit, parum, (ut Cicero dixit) laudandus eſt; certe Criticum, etiamſi mendum, quod facillime tolli potuit, recte ſuſtulit, ſi in cauſa mendi erravit, non tam laudandum quam culpandum eſſe judicabimus.

XIV. vv. 19. 20. 21.

Quantis fatigaret ruinis,
Indomitas *prope qualis undas*
Exercet Auſter;

Hic habentur duo ſubſtantiva, *undas*, *Auſter*. Unde Criticus facile divinet *indomitus* legendum eſſe. Et ita ante te Parthenius & Cerutus legerunt. Sed de hujus loci ſcriptura vide Notas.

vv. 25. 26.

Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui *regna Dauni praefluit Appuli,*

Hic conſtructionem mutavit Interpolator, quod putabat relativum pertinere ad *Aufidus* Sed *qua* legendum, ut ſubaudiatur *parte*, fluvii curſus demonſtrat. Tu quidem *qua* in contextum recepiſti, quamquam in Notis ſic ſcripſeris; *Si codex ullus aſtipularetur, libentius legerim* qua: quibus verbis bis peccaſti; nam in contextum recipi non oportuit, de quo ſcripſiſti; *Si codex ullus aſtipularetur libentius legerim* qua: deinde, cum in infinitis locis Interpolatores conſtructionem corruperint, cumque ſententia conſtructionem hic mutari poſtulet, *qua*, etiamſi nullus liber aſtipuletur, legendum eſt,

Epod.

Digitized by Google

Epod. Lib. XV. v v. 1ſ. 16.

Nec ſemel offenſae *cedet conſtantia formae*;
Si certus intrarit dolor.

Ex eadem obſervatione duae naſcuntur emendationes, una, *offenſum*, ut ad *intrarit* pertineat, hoc eſt, ſi dolor ſemel intrarit me offenſum, altera *offenſi* ut a *conſtantia* regatur, & ita Gogavus *libro Omiſſorum* ante te legendum docuit. Verum ex Regula quae verbum inſolentius in magis vulgatum ab Interpolatoribus ſaepe mutari oſtendit, rectius fortaſſe legas *infenſae*, ut formae tributum fuerit, quod perſonae tribuendum fuerat: idque pereleganter factum. Nam ob hoc Horatius Neaeram ſibi infenſam, iramque ſuam parvi pendere exiſtimabat, quod formae venuſtate ſuperbiret, ad cujus vel primum aſpectum non dubitabat, quin ira Poëtae relangueret & amor reviviſceret? Et ex hoc intelligitur, illud, quod contra lectionem receptam adfers, invalidum eſſe. *Quid mirum*, inquis, *ſi* formae offenſae, id eſt quae offenderet, *conſtantia Horatii non cederet.* non enim animadvertiſti figurate hoc a Poëta dictum.

Serm. Lib. I. I. v v. 120. 121.

Jam ſatis eſt: ne me Criſpini ſcrinia lippi
Compilaſſe putes,

Horatii lippitudo & pronomen *me* legendum eſſe *lippum* videntur ſuadere; & hoc tibi placuit. Sed *lippi* rectius eſſe ſupra pag. 16ſ-6-7 demonſtravi.

IV.

Digitized by Google

IV. v. 39.

Primum ego me illorum, dederim quibus eſſe Poëtas,

Illud *quibus* Critico monſtrat *Poëtis* legi debere. Et ita Deſpauterius hunc verſum adduxit. Vide ſupra pag. 52. Sed verba tua ſubjungam. *Repone*, ais, POETIS. *Ita infra Serm. I. VI. v. 25.*

quo tibi, Tilli,
Sumere depoſitum clavum, fierique tribuno:

ubi Acron Scholiaſtes: fieri tribuno, figurate per dativum: ut ſupra, Dederim quibus eſſe POETIS. *Quid videtur? Nonne monſtri ſimile eſt, lectionem hanc tam diu in propatulo fuiſſe, neque a quoquam Interpretum animadverſam?* Paullo poſt ſic ſcribis: *Ceterum poſtquam haec commentatus eſſem, animadverti accuratiſſimum N. Heinſium & in libri ſui ora, & in Notis ad Naſonis Heroid. XIV. v. 641. veram lectionem ante nos prodidiſſe.* Callide partem Notae Heinſianae hic celaſti: is in Libri ſui ora adnotavit *lege Poëtis. Sic Scholiaſta.* (ſcilicet a Cruquio editus) *pag.* 373. in qua pagina haec apud Cruquium leguntur, *tibi fieri Tribuno dixit eleganter & figurate, ut ſupra, dederim quibus eſſe Poëtis.* Qua Nota admonitus paginam illam inſpexiſti, & Acronem ad Serm. I. IV. v. 39. *Poetis* legiſſe admonuiſti, totamque hujus indicii laudem nulla notae Heinſianae facta mentione, tibi adrogaſti. Sed de hac re alio loco & tempore.

IX.

Digitized by Google

IX. v. 36.

Praeterita: & caſu tunc reſpondere vadato
Debebat,

Vadari, eſſe verbum commune e Priſciano docuit Rob. Stephanus in Latinae Linguae Theſauro: hic autem active ſumi non poteſt; quia reus non reſpondebat actori ſed praeconi, a quo citabatur. Aſconius ad Ciceronem de Praetura Urbana cap. I. Reſpondet. *Recte dictum eſt* reſpondet; *nam apud Veteres & Judices, & rei, & accuſatores, & defenſores citabantur a praecone Praetoris:* ex quo colligitur *vadatus* reponendum eſſe; idque Laurenbergius in Antiquario indicavit, & duobus exemplis *vadari* paſſive accipi oſtendit. Vide ſupra pag. 53.

Lib. II. III. v. 129.

Incipias, ſervoſve tuos *quos aere pararis;*

Pro *tuos*, *tuo* ſubſtitui poſſe, ut cum *aere* conveniat, apertiſſimum eſt; & ita in ſeptem vel octo editionibus Aſcenſii legitur. Sed te audiamus: *Leviſſima ſane mutatione locum integrum olim praeſtiti: quod poſtea vidi a Tan. Fabro occupatum, & a Dacerio comprobatum.*

v. 262.

Inviſis foribus: ne nunc, cum me vocet *ultro;*

Particula *cum* quoties tempus denotat, jungi ſolet indicativo modo; cujus ignoratione Corrector *vocat* in *vocet* mutavit, & *vocat* in Mſto Berſmani, cujus editionem ſaepe commemoraſti, invenitur. Illud igitur a te imprudenter

prudenter adnotatum, *etiam invitis membranis* vocat *pro* vocet *legendum.*

V. vv. 90. 91.

Difficilem & moroſum offendet *garrulus ultro*
Non etiam ſileas.

Verbum *ſileas* monet legendum eſſe *offendes*; & ita legit Commentator Cruquianus, & Juvencius in Interpretatione. Vide ſupra pag. 54.

Art. Poët. vv. 260. 261. 262.

In ſcenam miſſos *magno cum pondere verſus,*
Aut operae nimium celeris curaque carentis,
Aut ignoratae premit artis crimine turpi.

Piſcator primus, ni fallor, quamvis in hac arte parum exercitatus, hujus loci veram lectionem invenit, & Criticus, qui cognorit utilitatem regulae, in qua verſamur, eam non invenerit? Piſcatoris verba adſcribam; *Omnino puto legendum* miſſus *nominativo ſingulari: non autem* miſſos *accuſativo plurali. Sententia enim eſt.* Verſus (*ſcilicet Jambicus*) miſſus in ſcenam magno cum pondere (*h. e. cum multis ſpondeis admixtis*) Premit (*ſcilicet Poëtam*) crimine turpi aut operae celeris nimium curaque carentis, aut artis ignoratae. Sed adnotatio tua non eſt pratermittenda: *Hunc locum diu correxeram; cum poſtea deprehendi Marcilium illud* MISSUS *priorem ex conjectura dediſſe, & Dacerium in illius ſententiam recte & prudenter conceſſiſſe.*

vv. 275. 276. 277.

Ignotum tragicae genus inveniſſe Camenae,
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis

Quae

Quae *canerent agerentque perunƈti faecibus ora.*
Landinus ad verbum *plauſtris. Multi dicunt quod tam multa ſcripſit, ut plauſtris eſſent vehenda, ſed potius quia chori plauſtris eſſent collocati quoniam circum pagos eſſent vehendi.* Et Pedimontius in Ecphraſi, edit. Venetiis a. 1546. *Ut ſcilicet cantores actoreſque faecibus ora perunƈti, plauſtris inveƈti fabulas canerent, agerentque. Nam quorundam interpretatio qui illud vexiſſe plauſtris Poëmata tam multa volumina conſcripſiſſe ut plauſtris vehi oportuerit, exponunt, nullo modo mihi arridet.* Quae interpretatio vel mediocriter artis perito monſtrat legendum eſſe *qui*, ut ordo ſit *vexiſſe* (homines) qui *canerent agerentque Poëmata.*

Hic tu adfers ineptiſſimam interpretationem ſubdititii Acronis, quae eſt haec; *Tam multa ſcripſiſſe, quae poſſet plauſtris advehere.* Veri autem & genuini Acronis nota eſt haec. *Ante enim chori in plauſtris conſtituti circa vicos Tragoëdias agebant:* ubi pro *ante enim* lege *ante inventionem ſcenae.* & Porphyrio Theſpin plauſtro vectum Tragoedias egiſſe ſcribit. Unde apparet veteres Scholiaſtas, *qui*, ut tu recte emendaſti, in ſuis libris inveniſſe.

Nunc e verſu 276. duo menda a te non animadverſa tollam; ac primo pro *vexiſſe* lego *vectaſſe*, idque & ſententia & numerorum ratio poſtulant. Error autem ex eo ortus eſt, quod imperiti Librarii non animadverterunt, *vexiſſe* ſupra *vectaſſe* interpretandi cauſa a Grammaticis adſcriptum fuiſſe. Et ſimili modo e

Gloſſa

Digitized by Google

Gloſſa *tuearis*, quod aliquot codices Lambino teſte habent; Epiſt. Lib. II. I. v. 2. in contextum irrepſit, pro quo caſtigatiores libri habent *tuteris*. Et Serm. Lib. II. II. v. 102. pro *ducor* legendum *ductor*: *Ducor* autem te in contextum recepiſſe miror, cum in codice Zulichemiano Nic. Heinſio teſte *ductor* legatur. Atque ex hac obſervatione Epiſt. Lib. I. XVIII. v. 54. pro *ſuſtineas ſuſtentes* multo ante repoſueram, quam exemplar Epiſtolarum Cadomi A. 1480. impreſſarum in manus meas veniſſet. Deinde pro *Poëmata* lego *per Hellada*; interpolandi cauſſam praebuit ignoratio vocabuli *Hellas*, quod apud Plinium, Pomp. Melam, & Solinum legitur. Atque hanc emendationem, etſi ea tuam ſolertiam effugerit, in Notis veram eſſe oſtendimus.

Nunc ad lectiones, quas Cruquius, aliique Editores e ſuis Codicibus produxere pergendum eſt. Quoniam autem totam hanc rem in Notis diligenter perſecutus ſum, in praeſenti duos tantum locos, e quibus vitia tollere, Critico hac ſola obſervatione adjuto fuiſſet perfacile, adponam. Prior eſt e Carm. Lib. II. X. v. 18.

Sic erit quondam: cithara *tacentem*
Suſcitat Muſam;

Ubi ex Regula ſaepe memorata *citharae*, quod unus e Berſmanianis codicibus habet, legi debere facile animadvertere potuiſſet emendator: *citharae* autem in *cithara* mutavit Corrector, quia *muſam citharae*, quod eleganter dixit Horatius, bene dici ignorabat. Et invitis

Digitized by Google

vitis etiam Libris pro *tacentem* reponendum *tacentis*, quod in *tacentem* Interpolator ideo mutavit, quoniam *Muſam tacere* recte dici, *citharam tacere* non recte dici exiſtimabat.

Poſterior locus eſt e Serm. II. III. vv. 11. 12.

Quorſum pertinuit ſtipare Platona Menandro?
Eupolin, Archilochum, *comites educere tantos?*

Hujus quoque loci facilis eſt reſtitutio. Nam *Eupolin Archilocho?* legendum eſſe verba antecedentia *ſtipare Platona Menandro* Criticum vel mediocriter attentum admonent: *Archilocho* autem in *Archilochum* propter *educere* mutavit Interpolator.

Reſtat, ut obſervationem, quae docet Grammaticos in locum verbi occultioris vulgatius ſubſtituere conſueviſſe, uno & altero exemplo in Lambini libris extante comprobemus. Carm. III. XIX. v. 27.

Tempeſtiva petit Chloë.

Ubi Lambinus monet in aliis Libris haberi *Rhoda*, in aliis *Rhode*, & ita edd. Baſil. 1555. & Acronis 1474. *Rhoda* autem & *Rhode* mutarunt in *Chloë* nomen notius.

Deinde Carm. III. XXIV. v. 4.

Tyrrhenum omne tuis & mare Apulicum.

Apulicum, quod merito in contextum recepit Lambinus, in *Ponticum*, *Punicum*, *publicum* mutarunt ineptiſſime.

Ex hac obſervatione ſic ſtabilita facilis eſt emendatio verſûs 33. Epod. XVI.

Credula nec flavos *timeant armenta leones.*

Ubi

Digitized by Google

Ubi Lambinus adnotat in quibuſdam libris legi *fulvos*, in quibuſdam *ſaevos*, quae varietas docet hic extitiſſe verbum *rarius*, quod tamen diu quaerendum non eſt, *ravos* enim, de quo vide Carm. III. 27. v. 3. & Rob. Stephani & Fabri Theſauros, ſeſe offert.

Deinde Carm. Saec. v. 16.

Seu Genitalis.

Ubi ex eadem Obſervatione Criticus vel *Genetyllis* legendum vel *Genitiva* facile conjecerit; & priorem quidem lectionem ſcripturae quoque affinitas haud obſcure indicat, neque vox *Genetyllis* vel Lambini temporibus Viris eruditis incognita fuit: Habetur enim apud Gyraldum *Hiſt. Deorum Synt.* XII. & apud Rhodiginum *in Antiqq. Lect.* Lib. XXVIII. cap. 24. Quamquam autem haec emendatio, a te, V. Cl., primo animadverſa valde vero ſimilis eſt, ea tamen pro certa & indubitata haberi non debet. Nam quod ſcribis *verba* Ilithyia, Agyieu, *Latinis auribus* Horatii *aetate tam inaudita erant quam* Genetyllis, illud ſane probat hanc conjecturam propter vocabuli inſolentiam rejici non debere, eam tamen recipi oportere nequaquam evincit. Deinde quod e Servio ad Virg. Ecl. IV. profers tuae emendationi non favet. *Caſta fave Lucina*; *modo*, ait Servius, *Lucinam Dianam accipimus. Sic Horatius*, Sive *te Lucinam probas vocari*, *ſeu te penitus Junonem.* Ubi propius, inquis, a ſcriptura abſcedes, ſi ſic refingas; ſeu te Genetyllidem, *quam ſi ſic*, ſeu te Genitalem. E-

quidem ſatis admirari non poſſum, quod ex inquinatiſſimo hoc loco Servium *Genetyllidem* ſcripſiſſe arbitraris. Nam, ut omittam, quod Servius ſcripſerit *ſeu tu Lucina probas vocari*, neque plus ad id quod praeceſſit, *modo Lucinam Dianam accipimus*, oſtendendum requirebatur, nulla eſt inter ſcripturam *penitus Junonem* & *Genetyllidem* affinitas. Deinde Porphyrionis Notam adfers. *Oſtendit eandem Lucinam & Genitalem Deam appellari:* ad quae verba ſic ſcribis; *Animadvertis, opinor, verba prave collocata. Quippe ſi id voluit, ſic omnino verba diſpoſuiſſet.* Oſtendit eandem Deam Lucinam & Genitalem appellari. *Sed quid*, inquis, opus eſt Deam? *quaſi vero id quiſquam docendus erat Lucinam* Deam *fuiſſe. Vix aliter eſſe poteſt*, quam *ut ſic olim dederit.* Oſtendit eandem Lucinam & Genetyllidem appellari: *quae vox, utpote Librariis ignota, in genitalem Deam reformabatur.* Immo verba Porphyrionis recte collocata ſunt: nam poſt *genitalem* nomen adjectivum, ei addidit ſubſtantivum ſuppreſſum *Deam*; & Horatius Carm. III. 22. v. 4. adjectivo *triformis* addit Diva; ad *Lucinam* autem vox *Deam* non pertinet: ſatis enim per ſe Lucina Dea eſſe intelligitur. Et Torrentius ad verbum *genitalis* ſic adnotat. *Lamb. & alii hic interpungunt. Ego poſt dictionem* Diva *interpungi malim, ut non abſolute* Dianam genitalem *nominet*, *ſed* genitalem Divam. *Numquam enim veteres eo vocabulo aliter uſos eſſe invenies, nec Lucretium quidem, cui nullum pae-*

ne

Digitized by Google

ne frequentius eſt, *ut*; genitalia corpora, genitalia ſemina, *&c.*

Denique, *accedit huc*, inquis, *codex noſter veterrimus Graevianus*, *ubi* genitalis *quidem nunc habetur*; *ſed litera quarta* i *alia manu inſerta eſt*; *& quatuor poſtremae poſt raſuram interpolatae. Videtur ergo a prima manu* gentilis *exaratum eſſe. Quod maximo indicio eſt in quibuſdam libris* Genetillis *fuiſſe ſcriptum. Hoc enim ab ignaris Correctoribus pro mendoſo habitum in* gentilis *immutari facile potuit: at vulgatum* genitalis *nemini offendiculo erat*; *neque quiſquam adeo infacetus*, *ut ex verbo facili & noto contra ipſum metrum* gentilis *excuderet.* Quid? adeone delectaris V. Cl. inanibus conjecturis? Nonne ſi Librarius *gentilis* ſcripſiſſet, probabilius eſt eum, aut *i* in *a* mutaturum fuiſſe, aut ſupra *i* eraſum, *a* ſcripturum fuiſſe, quam tres literas *l*, *i*, *s*, quae ſine mendo ſcriptae erant, fuiſſe eraſurum. Ego ſane, ſi hic conjecturis indulgere fas eſſet, potius dicerem, *genitiva* (de qua lectione mox dicam) ſcriptum eſſe, & pro *tiva* repoſitum *talis*.

Nunc ad argumentum quo contra receptam lectionem pugnas, venio. Dî, inquis, genitales *apud Ennium aut indigetes Deos*, *aut majorum Gentium Deos denotant*; *at neutra ſignificatione*, *de Diana genitalis dici poteſt.* Et hoc quidem verum eſt. Sed apud Horatium *genitalis* aliter accipi poteſt, quam apud Ennium: nam primo Janus Douſa *in Succid. Ap-*

 pend.

Digitized by Google

pend. ad Commentar. ſuum in Horatium cap. 3. ad verſum

Seu Genitalis

Genitalis, ait, *pro natali hic poſitum obſervabis, hoc enim cognomento Juno, in cujus tutela ſunt feminae, gaudet.* Tibul. Lib. IV. Carm. VI. v. I.

Natalis Juno ſanctos cape turis honores,

Ego vero potius exiſtimem *genitalem* dici Dianam, quod partubus praeſit. Verbum enim *gigno* maris & feminae commune eſt. Neque neceſſe eſt ut cum Torrentio interpungamus poſt *Diva*; quoniam in primo verſu Diana praeceſſit; & ſicut *Diana* recte dicitur *Trivia* voce *Dea* vel *Diva* non adjecta, ita hic recte dicitur *genitalis*, ſine adjectione vocis *Diva*.

Nunc quod ad emendationem *genitiva* attinet, cum Cato Apollinem *Genitivum* appellarit, ut refert Macrob. Sat. Lib. III. e. 6. *ad Apollinis* Genitivi *aram*; ſimili modo Dianam ab Horatio *Genitivam* vocatam eſſe probabile eſt. Vocis autem *Genitiva* poteſtatem cum Interpolator non intelligeret, pro eo *Genitalem* vocabulum notius repoſuit.

Deinde Epiſt. Lib. I. VII. vv. 29. 30. 31.

Forte per anguſtam tenuis vulpecula rimam
Repſerat in cumeram frumenti; paſtaque rurſum
Ire foras pleno tendebat corpore fruſtra.

Si Lambinus ad totam orationis ſeriem animum paullo diligentius attendiſſet, vocem *vulpecula* ei prorſus repugnare percepiſſet. Quid enim evidentius eſſe poteſt quam neque *repſerat per rimam*,

Digitized by Google

rimam, neque *per anguſtam rimam*, neque *in* cumeram frumenti, neque ejus *corpus frumenti paſtu* factum *plenum*, id eſt, pingue, (ut ante te expoſuit Aſcenſius) de hoc animali dici poſſe? E contrario haec omnia de *mure tenui*, id eſt, macilento (ut idem Aſcenſius interpretatur) veriſſime dici quis ignorat? Jam ſi Lambinus Obſervationem, de qua nunc agitur, habuiſſet cognitam, facile reperiſſet pro *vulpecula* reponi oportere verbum idem valens quod *mus:* & hoc eſt *nitedula*, quod ob ignoratam ejus vim ab Interpolatore in *vulpecula* mutatum.

Tibi vero V. Cl. longe facilior fuit hujus loci reſtitutio quam Lambino: nam, cum Dacerius, in hiſce verſibus mendum ineſſe, ut ſcribis, admonuerit, ut curam tuam ad mendum tollendum conferres, te excitavit. Praeterea idem Dacerius Hieronymi locum adtulit, in quo haec habentur, *Docet Aeſopi fabula plenum muris ventrem per anguſtum foramen egredi non valere.* Qui locus Critico mediocriter perito verbum, quod in locum vocis *vulpecula* ſubſtitui debet, haud obſcure monſtrat; ſiquidem docet aliud verbum quam *muris* ſynonimum (quod repertu ſane perfacile eſt) pro *vulpecula* reponi non poſſe; quod Dacerium virum ingenioſum ac pereruditum non vidiſſe maximopere admiror. Illud nullo modo admiror, quod tu V. Cl. illum Hieronymi locum a Dacerio primo animadverſum eſſe non indicaſti; neque illud admiror, quod,

etſi Salmaſius in *Plin. Exercitt.* cap. 26. & Voſſius *in Etymolog.* in voce *Nitela* omnia fere, quae tu de *Nitela* & *Nitedula* congeſſiſti, conſcripſerunt, neutrius tamen mentionem feciſti; quoniam tibi familiare eſt alienas laudes, ne tuis obſtent, ſilentio obruere.

Supereſt, ut argumenta, quae huic emendationi adverſari videntur, diſſolvamus. Ac primo illud nihil obſtat, quod a diſſimilitudine ſcripturae vocum *vulpecula*, *nitedula* peti poteſt; quia hoc mendum non eſt adſignandum dormitantibus Librariis, ut tu V. Cl. parum recte dixiſti, ſed imperito Interpolatori vocis *nitedula* vim, ut paullo ſuperius dixi, non intelligenti: ſolent enim Interpolatores pro captu ſuo verba mutare nulla vicinitatis ſcripturae ratione habita: atque ita *Apulicum* mutatum in *Ponticum*, *Rhode* in *Chloë*, *ravos* in *fulvos*, quinimo ex ignoratione verbi *trigonem* Corrector, tria verba mutavit in Serm. Lib. I. VI. v. 126.

Admonuit; fugio campum luſumque trigonem.

Sic enim teſte Cruquio legitur in antiquiſſimo Blandinio; & omnino recte, quod & N. Heinſius in ora libri ſui, quo tu beneficio eruditiſſimi Burmanni uſus es, adſcripſit, hoc addito; *vide Martialem*, unde tu, quae de pila trigonali adfers, hauſiſti. Tu tamen notam Heinſianam non laudaſti, ne ea laudata, ut opinor, tuae adnotationis laudem obſcuraret. Ceterum tria verba, quae in locum *campum luſumque trigonem* Interpolator intruſit, ſunt, *rabioſi tem-*

Digitized by Google

tempora ſigni. Eaque depravatio, quamquam perabſurda, ceteros codices pervaſit.

Deinde nihil obſtat illud Auguſtini in tractatu contra mendacium cap. 28. *Nec apud Auctores tantum ſaecularium literarum, ut apud Horatium, Mus loquitur muri & muſtela vulpeculae:* omnino enim dicendum, aut jam tum cum ille haec ſcriberet *vulpecula* in contextu extitiſſe, aut dicendum ſanctum Patrem memoriae lapſu *vulpecula* verbum tritius pro *nitedula* verbo rariore citaſſe; aut denique dicendum, quod & probabilius eſt, Correctorem, ne hic locus Auguſtini diſcreparet a lectione *vulpecula* quam in libris Horatii inveniſſet, *nitedula* in *vulpecula* mutaſſe. Hic autem Auguſtini locus tuam V. Cl. diligentiam effugit.

Denique quod ad quantitatem duarum primarum ſyllabarum in *nitedula* attinet, eas productas eſſe oſtendit verſus Martialis a Salmaſio in Plin. Exerc. cap. 26. adductus, Mart. Epigr. Lib. V. XXXVII. v. 8.

Rhenique nodos, aureamque nitelam

Nam ſi primae duae in *nitela* longae ſunt, primas quoque duas in *nitedula* longas eſſe dubitari non debet.

F I N I S.

CON-

Digitized by Google

CONSPECTUS
CAPITUM.

CAPUT I. *De munere Critici. R. B. reprehenſus.* pag. 1
CAP. II. *Multa in R. B. Praefatione ad Lectorem reprehenduntur.* 4
CAP. III. *CCLXX. loci in Horatio ex fidiſſimis obſervationibus emendati.* 22
CAP. IV. *Alii loci ex obſervationibus emendati.* 39
CAP. V. *Emendationes Bentleianae ab aliis ante animadverſae adferuntur.* 45
CAP. VI. *Loci a Bentleio male emendati indicantur.* 56
CAP. VII. *Corruptae veterum Librorum lectiones, quas* Bentleius *integris inſcite praetulit; item pravae doctorum hominum emendationes ab eodem in contextum intruſae adferuntur.* 59
CAP. VIII. *Lectiones quas* Bentleius *aut primum in contextum ſe induxiſſe, aut e vetuſtis editionibus revocaſſe immerito exiſtimat, indicantur.* 62
CAP. IX. *De figura quam vulgo vocant* Ὀξύμωρον; *mira* Bentlei *inſcitia.* 79
CAP. X. *Septem loci ex Horatio emendati.* 93
CAP. XI. *Figuras Orationis opportune animadverſas tum ad ſanas lectiones tuendas, tum*

ad

ad ſanandas vitioſas haud parum proficere. Bentleius *paſſim notatus.* 128

CAP. XII. *Octo locos Horatii a Bentleio male emendatos eſſe.* 181

CAP. XIII. *Jactantia R. B. caſtigatur.* 217

CAP. XIV. *Vulgata Lectio Carm. Lib. I. XIII. v v. 2. 3. defenſa.* 248

CAP. XV. *Lectiones quaedam emendantur, quaedam defenduntur. Bentleii Errores refelluntur.* 259

CAP. XVI. *Nonnullae Emendationes Obſervationibus Criticis confirmatae.* Bentleius *ſemel laudatus, ſaepe reprehenſus.* 289

CAP. XVII. *De Diviſione Verſuum XII. Carm. Lib. III.* 311

CAP. XVIII. *Lambini & Torrentii negligentiam & imperitiam in Poëmatis Horatii recenſendis admirabilem videri.* 330

CAP. XIX. *Ex variis Lectionibus, quae apud Lambinum habentur, Regulas ad Horatii Poëmata emendanda pertinentes illius temporibus conſtitui potuiſſe; Criticumque ad eaſdem acriter attendentem non ſolum correctiones omnes a Viris doctis repertas, ſed & omnes probas lectiones (una & altera excepta) quae Fabricii, Cruquii, Pulmanni, Torrentii, Berſmani & Bentleii diligentiae debentur, invenire potuiſſe.* 356

AD-

Digitized by Google

ADDENDA & CORRIGENDA.

PAg. 36. v. 10. Incipe vivendi recte &c. p. 38. v. 13. Si vero eſt &c. *deleantur ambo hi verſus : ſic enim legi in una & altera editione poſtea reperi.* P. 43. v. 18. *leg.* vobis juga. P. 47. v. 8. *leg.* p. 26. P. 48. v. ult. *leg.* Tibullum. L. III. 4. v. 28. P. 52. v. 5. *leg.* Γενετυλλὶς. P. 59. v. 8. *leg. Sepultae.* P. 63. v. 9. *leg. temperat.* P. 74. v. 14. *leg. referas mihi.* P. 115. v. 14. *leg. poſſim.* P. 142. v. 31. v. penult. *leg.* illic. P. 174. poſt v. 14. *adde*, Macrob. Saturn. L. I. c. 5. Viro venuſto patre praeſtantior non minus *ornatu morum* &c. P. 188. v. 11. *leg. jam virûm expertes ; virûm expertes* mutavit &c.P. 195. v. 25. poſt *Sed*, *add.* ut quarta proponatur emendatio, ad &c. P. 210. v v. 21. 22. *leg.* adjutus unum & alterum Horatii loqum &c. P. 214. v. 4. *leg.* praeditas, quanquam verſus naſci & vivere tranſlate dicuntur, cum incude &c. P. 219. v. penult. *del.* & Sapphonem. P. 226. v. 19. *leg.* Immo *duratae ſolo* interpretari oportet *in ſolo*, vel *ad ſolum.* poſteriore modo Virg. P. 246. v. 15. *leg.* geminare, P. 264. v. 4. *leg.* ſi mille haberent *arto*; contra, unicus *apto*, P. 275. v. 19. *leg. propius.* P. 286. v. 20. poſt *quoſdam* add. Hos autem Pindari verſus P. Petit. Miſcell. Obſerv. L. III. c. 26. e S. Empirico in medium protulit. P. 313. v. 22. *del.* vix. P. 347. v. 23. *leg. cyatho*; P. 363. v. 5. *leg.* ſpeciem pro genere vocant,

Digitized by Google

Digitized by Google

005651686

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google